



Staats- und  
Universitätsbibliothek  
Bremen

# **Staats- und Universitätsbibliothek Bremen**


**Digitale Sammlungen**


## **Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica Classis ...**

**Brauer, Hermann Brauer, Hermann**

**Bremen, 1721**

**urn:nbn:de:gbv:46:1-4150**





# BIBLIOTHECA

*Historico - Philologico-*

## THEOLOGICA.

*Classis Quintae*

FASCICULUS PRIMUS.



BREMÆ,

---

Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ GRIMMII.

---

Typis HERMANNI BRAUERI, MD CC XXI.

*Reverendissimo in Christo*  
*Patri ac Domino*

**LANCEL  
LOTO,**

Divina permisione  
EPISCOPO EXONIENSI,

Magnae Britanniae  
PARI,

Viro religione, doctrina  
humanitate  
*eminentissimo,*

*Quin*

*Quintum hunc supra vicesimum*

HUJUS

**BIBLIOTHECAE  
FASCICVLVM**

inscribit, & hanc veluti ta-  
bulam summi cultus, atque ob-  
sequii cum fortunatorum successuum,  
intemerataeque felicitatis  
voto suspendit,

EIVSQUE ERGA HOC INSTI-  
TVTVM favorem, opem, auxi-  
lium implorat

Dignitati ejus meritisque valde  
devotus

**EDITOR.**

In

( O )

In hoc fasciculo collecta sunt :

- I. Gerhardi OUTHOVII Delineatio *Monarchiae* primae seu ASSYRIACAE.  
pag. 1.
- II. Frid. Christophori NEUBOUR meditatio Juridico - Critica ad Gal. IV: 1, 2.  
p. 40.
- III. Joh. Georgii SCHELHORNII de ΕΤ-  
ΤΡΑΠΕΛΙΑ ad locum Eph. V: 4. Observ.  
p. 57.
- IV. Bernh. Petri KARLII de *Colosso* Danie-  
lis contra cujusdam paradoxam de IV.  
regibus Babylonicis interpretationem  
diff. p. 66.
- V. Vita Alberti zum Felde, Theologi Kili-  
ensis p. 110.
- VI. Eilh. Folcarthi HARKENROTHII ad  
Th. HASAEUM Epistola, in qua de  
Martino Fabri, & familia Hadriani VI.  
Papae differitur. p. 117.
- VII. Henrici BRENCMANNI de Societa-  
te quadam literaria constituenda consi-  
lium. p. 129.
- VIII. Librorum in Anglia per modum sub-  
scriptionis edendorum ΕΥΥΕΑΣ. p. 159.
- IX. Librorum ad Theologiam spectantium  
à Reformatis editorum catalogus con-  
tinuatus  
Latine p. 165.  
Anglice p. 179.



I.

Συγ. Θισ.

G. OUTHOVII

Brevis delineatio

MONARCHIÆ

primæ seu

ASSYRIACÆ,

ad rectam intelligentiam variorum lo-  
corum sacri codicis, aliorumque pro-  
fanorum historicorum.

ARGUMENTUM.

§. 1. Non temere credendum, quod ab historiogra-  
phis narratur. Studium historicum ac chronologi-  
cum molestum. §. 2. Labore tamen improbo mul-  
tæ difficultates superantur. §. 3. qui labor omni-  
bus Theologis impendendus est. §. 4. Plurimi scri-  
ptores statuerunt Ninum filium fuisse vel Beli, vel

Class. V. Fasc. I.

A

Nim-

Nimrodi. §. 5. Qui Ninus ante tempora Abrahama longe lateque imperii sui terminos extendisset. §. 6. 7. Verum hæc omnia falsa esse ostenditur ex tenuibus imperiorum initiis, uti & ex historia Abrahami, quæ legitur *Gen. XIV. 1. Sc.* §. 8. Ninus non fuit filius Nimrodi aut Beli ob nimis magnum *διάστημα* temporis inter illos. §. 9. Vidit hoc *Cel. Perizonius*. Promittitur auctoris commentarius in librum Jonæ, §. 10. in quo explicabitur fufius locus *Gen. X. 11.* cujus explicationis contenta hic proponuntur. §. 11. Reges in Affyria & Babylo-  
 nia ad Ninum. §. 12. Ninus vixit post Sefostrin.  
 §. 13. Sefostridis ætas. §. 14. Nini ætas tempore  
 Judicis Tholæ. §. 15. Ninus Affyrius occupat Ba-  
 byloniam. §. 16. Quare historici a Nino incipiunt.  
 §. 17. Quia ante Ninum nil certi fcivere. §. 18.  
 de Semiramide. §. 19. reliqui reges usque ad Sar-  
 danapalum non tot annos regnarunt, quot vulgo  
 dicitur. §. 20. cum Sardanapali interitu non ex-  
 spiravit Monarchia Affyriaca. §. 21. sed divisa est  
 tripliciter, proponuntur omnes reges Medorum,  
 Affyriorum, ac Babyloniorum usque ad Cyrum.  
 §. 22. Demonstratur vera Nini ætas, quæ incidit  
 in annum 13tium Judicis Tholæ. §. 23. Proponi-  
 tur tabula collationis chronologiæ sacræ cum annis  
 regiminis Affyriorum. §. 24. Collatio æræ Nabo-  
 nassari cum historia Sacra.

§. I.

**Q**uum primum animum ad studia humaniorum literarum appuli, id mihi negotii credidi semper dari, ut non temere crederem omnia, quæ ab antiquis ac recentioribus scriptoribus seu historiographis nobis sunt tradita scriptisque consignata; sed ut tam diu du-

adbitarem, judiciumque meum suspende-  
rem, donec ex diligenti Lectione ac seria col-  
latione verborum tam sacrorum, quam pro-  
fanorum scriptorum tandem aliquando veri-  
tatem splendescere viderem. Certissimum  
enim est, nullum studium magis obnoxium  
esse molestiis ac difficultatibus laboribusque  
inextricabilibus, quam studium historicum  
ac chronologicum. Et licet aliquis Herculeâ  
polleret audaciâ, eâque cum Trogo Pompejo  
orbem terrarum aggredi videretur, ut ipsius  
Epitomator Justinus in præfatione loquitur,  
opus quidem ardui Laboris in se susciperet,  
nunquam tamen superaret omnes illos mon-  
tes ac ardua difficultatum, quas hic obviam  
haberet, quæque vel plane insuperabiles, vel  
omnino, instar nexus loramentorum jugi  
Gordii regis Phrygiæ, inexplicabiles insolu-  
bilesque essent.

¶ 2. Verumenimvero, ut labor impro-  
bus omnia vincit, sic assiduâ diligentia, at-  
tentâ Lectione ac accurata collatione scripto-  
rum Ethnicorum cum biblicis historiis mul-  
tas superare arduitates variisque spinetis nos  
extricare poterimus, si modo non obiter, ut  
plerumque fit, sed assiduo Labore ac inten-  
tis animis evolvamus, perlegamus, imo ali-  
quando relegamus veterum monimenta vi-  
rorum, & non semper contenti simus allega-  
tis doctorum, sed ex ipsis fontibus puram hau-  
riamus lympham.

§. 3. Et uti hic Labor, quem plurimi turpi ignavia fugiunt, omnibus Theologis est impendendus, ne nimis jejuni more seculi nostri sanctam conscendant cathedram, sed ut ad interpretanda sacrarum Literarum ac historiarum Loca, alias difficillima, apti fiant: sic semper hanc rem seu hoc negotium magnam mei theologici studii partem duxi, adhibita ope Tyrriorum exstruere templum Dei, & ex ipsis tenebris Lucem veritatis eruere. Ita tamen, ut nunquam arbitratus sim, me injuriam facere bonis auctoribus, cum eorum errores aut *μνημονικά ἀμαρτήματα* subinde indicem: nihil enim magis hominis est, quam labi; imo interest communium studiorum, ut notentur aliquando scriptorum *σφάλματα*, & ut magnorum virorum auctoritas, aut inveterata opinio neminem incautum habeat, teneatque.

§. 4. Sed ut ad scopum, quem jam collineo, perveniam, quæ opinio magis invaluit, & quæ res magis auctoritate magnorum virorum, taliumque etiam qui historiarum palæstram pancratice exsudarunt, fulcita ac corroborata est, quam quod Nimrod auctor sit primæ Monarchiæ, id est, æque Assyriacæ quam Babylonicæ, quodque Belus, aut saltem Ninus, ipsius fuerit filius. Ita Pseudo-Berosus Annii Viterbiensis, Nimrodum vel Nymbrotum primum facit Babyloniæ regem, ejus filium Jovem Belum secundum, & hujus  
ite-

iterum filium Ninum, tertium in prima illa Monarchia regem. Ita postea alii celebres Chronologiae historici scripsere, ut Eusebius, Otto Frisingensis, Calvisius, Alstedius, Sleidanus, David Pareus, Ubbo Emmius, Antonius Coccius Sabellicus, Petrus Gregorius Tholosanus, Pezelius, Gutberletus aliique. Et licet Eusebius primum Assyriorum regem dicat Belum, ejus filium tamen quoque appellat Ninum, in cujus regni annum quadragesimum tertium ponit primum annum Abrahami Patriarchæ. Doctus ille Jesuita Petavius libro de doctrina temporum l. 9. c. 13. Ninum quidem pro nomine Gentilitio sumit, quasi Moses dixisset *Gen. 10: 11. de terra Sinear egressus est Assur id est, Assyrius Ninus, qui Niniven edificavit.* Verum non cogitavit, tum legi debere non אַשּׁוּר, Assur, sed אַשּׁוּרִי Assyrius. Et contradicit sibi Vir doctus, cum in Rationario temporum lib. 1. cap. 2. pag. m. 7. Ninum expresse Beli filium dicit: concedit quidem Nimrodum esse ipsissimum Belum, in eo tamen cum omnibus perperam scribit, hujus Beli seu Nimrodi primique Assyriorum regis successorem post quinque & sexaginta annos fuisse Ninum, a quo conditam Niniven dicit. Sic in eodem luto erroris hærebat quoque Horatius Tursellinus, qui in *Epitom. hist. lib. 1. cap. 3.* quidem scripsit, Nembrothum fortasse eundem fuisse ac Belum, constat tamen, dicit, *Belum in Assyria regnasse pri-*

nam anno circiter 1850. a mundo condito, regnum obtinuisse annos 65. addens, nihil memoria dignum gessisse. Non mirum: quia talis Belus distinctus a Nimrodo tunc non fuit in rerum natura. Facit tamen idem Tursellinus Ninum Beli filium ac conditorem urbis Ninives, qui regnasset annos 54. Cum Ubbo Emmius dicit, Ninum regnasse annos 52, in *Canone Chronico* pag. 135, § 137. ubi porro tradit, eum condidisse Ninum seu Niniven, fuisseque eundem, quem Moses Assurem vocavit, ita enim fatur, *Ninus Assyriorum rex, Assur dictus Mosi, ut putat Josephus Scaliger.* Ecce! sic fabulis pascunt nos Viri docti. Si Ninus Nimrodi filius fuerit & per consequens Babylonius, quomodo tum Assyrius vocari potest? Certe, quis non videt, omnia hæc esse confusa ac contradictoria? Cl. A. *Le Grand* Ninum & Nimrodum confundit, omnia enim, quæ alii de Nino narrant, hic de Nimrodo refert, qui urbem Niniven condidisset, & cujus uxorem Semiramidem dicit, in *hist. sacra* lib. 2. §. 8. 9. 10. 11. Alii quidem asserunt Niniven primum conditam esse ab Assure, ut *Micrælitus, Matthias, Sleidanus* aliique hac in parte veritatem defendentes, in eo tamen cum supra nominatis errant, Ninum successisse Belo vel Nimrodo.

§. 5. Verum si quis attenta mente & depositis præjudiciis rem perpenderit, statim animadvertet, omnes hos viros nobis plane in-

incredibilia narrare. Nam Sleidanus refert, Belum Nimrodi filium omnem agrum in Sarmatiam usque Europæam occupasse, ac bellum fecisse Sagarum regi Sabatio, quem non ipse quidem, eo quod morte præpediretur, sed ipsius filius Ninus oppressit, qui Ninus productis longe lateque finibus, Monarchiam primus omnium cœpit. Sic Nicolaus Gurtlerus, in docto libro de originibus mundi *lib. 1. cap. 7. §. 35.* de Nino, quem quoque Nimrodi aut Beli filium ac successorem cum aliis perperam facit, ait, ipsum totius orientis populos subegisse, Bactrianos vicisse, ac quæsitæ dominationis magnitudinem continua possessione firmasse, teste allegato Justino *lib. 1. cap. 1.* Et si Berosum, quem Logodædalum agens Annius edidit, legamus, videbimus, temporibus Beli & Nini extitisse jam varia fundata regna, & quidem permagna, quæ tamen plurima subegisset Ninus. Imo ex Diodoro Siculo, quem apud Græcos defuisse nugari Plinius in præfatione hist. nat. ad Vespasianum Imp. dicit, discimus, Nini tempore floruisse magnum ac potentem regem Arabum, nomine Ariæum, cujus ope Ninus varios alios reges impotentissimos, ut Barzænem regem Armeniæ, Pharum regem Mediæ, imo totam fere Asiam, variosque permagnos populos, ac tandem etiam potentissimum ac ditissimum illum Bactrianorum regem Zoroastrem, quem Orosius magicæ artis

repertorem dicit *lib. 1. cap. 4.* superavit. Quid? an hæc omnia falsa dicemus?

§. 6. Sed siste, Lector, incredibilia, imo falsa hæc omnia dicerem, si verum foret, Ninum fuisse filium Beli vel Nimrodi, uti plurimi viri docti statuunt. Falsa hæc omnia audacter assero, si verum sit, quod Ulbo Emmius scripserit *rer. chronolog. lib. 5. pag. 134.* *Ninum primum Monarcham regem Assyriorum cepisse post diluuium universale anno 252. ante uocationem Abrahami, &c.* Quis enim crederet statim primo illo tempore tot & tanta existisse potentissima regna, tantasque urbes undique per orbem conditas ac bene munitas, populosque tam potentes ac numerosissimos in respublicas ac dynastias fuisse constitutos? Unde tam subito tot populi, tot urbes, ac regna exstiterent? Ego credo, initia harum urbium horumque regnorum admodum fuisse rudia ac tenuia, primasque urbes, ut Thucydides *lib. 1. pag. m. 4.* & Hesiodus *in Asp. vs. 18.* dicunt, fuisse tantum pagos, & reges vel potius regulos illos primos fuisse parua potestate: uti ex ipsa sacra constat historia de Abrahamo Patriarcha, qui parua manu, trecentis & duodeviginti uernis, ut cum Pareo ad *Gen. 14.* loquar, exercitum quatuor regum aggredi & profligare potuit, ratio est, quia nondum erant tam magni Monarchæ aut reges, quales successu temporis cœperunt esse; sed reguli seu principes erant, qui civitatem unam vel paucas cum aliquanta hominum

num multitudine suo imperio tenerent, qui-  
que, ut cum Thucydide loquar, ὅυτε μεγέθει  
πόλεων ἰσχυρον, nondum magnitudinæ civitatum validi  
erant. Thucyd. lib. 1. pag. m. 2. edit. Stephani 1588.

§. 7. Certe, ut Dionysius Halicarnassæus,  
antiq. Rom. lib. 1. cap. 1. ubi de priscis impe-  
riis differit, statim in principio dicebat, nam  
antiquum illud Assyriorum imperium retro ad fa-  
bulosa usque pertingens tempora, modicam quon-  
dam Asia partem obtinuit, sic ex ipsissima illa  
historia Abrahami, seu belli quatuor regum  
debellantium reges Pentapolitanæ regionis,  
patet clarissimè regnum Assyriacum tunc  
temporis nondum adeo invaluisse, ut persua-  
dere nobis conantur viri docti, aut fabulosa-  
rum rerum Dædali. Uti enim horum qua-  
tuor regum, quos Patriarcha Abrahamus fu-  
gavit, unus erat Amraphel Rex שניער Sinear,  
i. e. Chaldææ seu Babylonis, sitæ in ea regio-  
ne, & per consequens unus ex successoribus  
in regno Nimrodi; alter Chedor Laomer, Rex  
עילם Elam, seu Elamitarum, i. e. Persarum,  
dictorum ab Elam, Semi primogenito, sic  
tertius vocatur Arioch, rex אלשר Ellasar,  
πῆς Ὁ Ἑλλησπέρ, Chaldæo Onkeloso דאלסר,  
Elasar, id est, Assyria: nam nomen אלשר vel  
אלשאר procul dubio est compositum ex  
præfixo אל, & ex אשר, secundum quosdam  
a prima voce שר, Sar, i. e. princeps, vel po-  
tius ab אשר, Assur, filio Semi: unde postea  
אשר vel אסר Asar vel Esar mansit in nomini-  
bus

bus variorum Assyriorum regum, ut in *Phul-Asar*, *Salman-Asar*, *Asar-Haddon*, *Nabon-Asar*, *Nabopol-Asar*, &c. Quare perperam Hieronymus per *עלסר* *Ellasar* hic intelligit regem *Ponti*, & Symmachus *Βασιλέα Σκυτῶν*, regem *Scytarum*; haud enim credi potest, populos adeo dissitos una convenisse, ut partem unam *Palæstinæ* eamque non admodum amplam invaderent, ut Rivetus recte observat *Exercit. 75. ad Gen. cap. 14: 1.* Cum igitur Abraham tam exigua manu 318. natis domus suæ & quibusdam copiis trium fœderatorum *Escol*, *Aner* & *Mamre*, ausus sit persequi imo fugaverit quatuor reges victores nempe reges *Affyræ*, *Babylonis*, *Persarum* & *Gentium*, patet regna illa ea ætate adhuc admodum fuisse impotentia ac tenuia, Ninumque tunc temporis nondum tam late multo minus tot ac tantis populis imperitasse, uti fabulantur scriptores.

§. 8. Non igitur omnia nego, aut rejicio, quæ *Diodorus Siculus* & *Justinus* aliique de *Nino* referunt; sed nego ac pernego *Ninum* fuisse filium *Nimrodi* aut *Beli*: quoniam inter *Nimrodum*, vel inter *Assurem*, & *Ninum* nimis magnum fuit διάστημα seu intervallum temporis, imo audacter quoque nego, *Abrahamum* Patriarcham tempore *Nini* vixisse, vel natum esse anno regni *Nini* 41. vel 42. uti ex ὑποθέσει *Eusebii* *Ubbo Emmius* & *Nicolaus Gurtlerus*, *Gutberlethus* & alii statuerunt.

runt, quoniam plus multo temporis lapsum est inter Nimrodum & Ninum, & initia Nini Assyriorum ac Babyloniorum Monarchæ longe recentiora sunt, ac vulgo creditur, & a viris doctis traditur, qui omnes hypothesi suæ inservientes falso nituntur fundamento nec ullum veræ rationis proferunt argumentum.

§. 9. Viderunt hoc ante me varii viri docti, inter alios etiam Vir acutissimi ingenii Jacobus Perizonius. Indicavit hoc in doctissimo suo opere *de originibus Babylonicis* pag. 369. uti & *de Egyptiacis* cap. 17. pag. 298. & 506. & fusius demonstrare promisit in libro *de Assyriacis* pag. 507. At uti Herodoti opus promissum de Assyriacis non habemus, sic hunc Perizonii librum non editum adhuc credo, absolvisse tamen Virum Cel. hoc opus, ex ipsius literis responsoriis, ad me anno ante obitum suum scriptis, mihi constat: idcirco optassem, ut adhuc, si fieri posset, in orbem literatum extruderetur. Aperte enim confiteor expectationem ac desiderium hujus operis promissi causam quoque moræ fuisse commentarii mei semel atque iterum promissi in librum Jonæ, qui tamen jam sub prælo sudat & tandem lucem videbit.

§. 10. In hoc meo commentario fusius ago de vero conditore urbis Ninives, quem demonstro fuisse Assurem, filium Semi, nepotem Noachi, non vero Nimrodum filium Cus, nepotem Chami, pronepotem Noachi. Idcirco

circo Locum Gen. 10: 11. ita cum Perizonio  
 aliisque viris doctis interpretor מן הארץ היהוא  
 ויצא אשור ויבן את בניוה, e terra hac egressus  
 est Assur, & edificavit Nimivem. Uti & inter-  
 pretes Græci vertunt, ἐκ τῆς γῆς ἐκείνης ἐξῆλ-  
 θεν Ἀσσοῦρ καὶ ὠκοδόμησε τὴν Νιβεὺ. Sic textus  
 Samaritanus, sic Versio Arabica, Lutheri, uti  
 & nostrorum Belgarum, aliorumque interpre-  
 tationes habent. Et sic totam hanc rem ac-  
 cipio, scil. omnes homines, qui tunc in mundo  
 extabant, ac unius labii eorumdemque ver-  
 borum erant, ac linguam illam primam He-  
 bræam loquebantur, pariter habitabant in ter-  
 ra Sinear, seu Chaldæa, uti Moses clarissime  
 loquitur Gen. XI: 1. 2. & omnes hi homines,  
 dicit Sacer scriptor vs. 3. 4. dicebant, age, edi-  
 ficemus nobis urbem & turrim, cujus cacumen ad-  
 scendit in cælos, & faciamus nobis Ⲁⲱ nomen, id  
 est, σῆμα, signum alte erectum, quod e longin-  
 quo videri potest: & in quem finem? vel  
 usum? ne, dicunt omnes illi homines, disper-  
 gamur super faciem totius terræ. Videbantur  
 enim velle conjuncti manere & dispersionem  
 impedire, idcirco tale altissimum signum eri-  
 gebant. Adfuerunt etiam huic ædificationi  
 Noachus, Semus aliique familiæ sanctæ, quia  
 de omnibus mundi incolis falli nescius histo-  
 ricus mundi nascentis loquitur: licet fortean  
 in hanc ædificationem non consenserint, aut  
 manus admoverint. Imo adfuit non tantum  
 Nimrodus, quem contra Doctiss. Bochartum demon-

demonstro tunc ad minimum fuisse hominem sexagenarium ; sed puto illum præcipuum auctorem hujus operis fuisse, imo quidem ἐργοδιώκτην & ἀρχηγέτην. Et sic porro demonstro, Nimrodum non exiisse in Assyriam ut Junius & Tremellius perperam interpretati sunt, sed mansisse eum in terra Sinear post confusionem labii cum suis asseclis, uti Fl. Josephus expresse dicit *antiq. lib. 7. cap. ὑπομείνας παρὰ Βαβυλωνίους ἐτυράννησε, manens apud Babylonios dominatus est.* Et sic Nimrodus verus auctor ac primus fundator fuit regni Babylonici seu Chaldæi, cultus postea ut *Belus Babylonicus.* Aliæ vero familiæ post hanc γλωσσόσυγχυσιν in alias terræ tractus abierunt, ac sedes quæsierunt. Sic *Elam* abiit in illum tractum ubi postea habitarent ipsius posterii *Elamitæ*, qui *Persæ* dicti sunt, quique *Elymaidem* & *Sufianam* occuparunt. Et hinc *Moses* dicit, ex illa terra Sinear, ubi ad hoc tempus omnes *Noachidæ* conjunctim habitarent, quoque egressum esse *Assurem*, fratrem *Elam*, filium *Semi*, qui *Assur* eam terræ partem occupavit, quæ ab ipso nomen *Assyriæ* accepit, ubi tunc *Niniven* ædificavit, & prima fundamenta *Assyriaci* regni posuit, quare postea cultus est ut *Belus Assyriacus*: & quare *Africanus*, *Eusebius*, *Servius* & alii recte dixere, primum *Assyriorum* regem fuisse *Belum*, quia *Assur* ut *Belus Assyriacus* est cultus: sed confundunt *Viri docti* sæpe pessime *Belum Assyriacum*

cum id est, Assurem, cum Belo Babylonico, nempe Nimrodo. Et in hoc Assyris regno post longum temporis spatium, nempe tempore Judicis Tholæ, sequutus est *Ninus*, qui, cum proprie Assyriacus erat, tunc regnum Babylonicum superavit, & sic revera primus Monarcha, tam Assyriaci quam Babylonici vel Chaldaici regni, fuit. Quæ omnia hic modo obiter tango, quoniam in Commentario in Librum Jonæ hæc fusius demonstrata, & rationibus, ut puto, sufficientibus præbata, Lector suo tempore videbit, quomodo porro de urbis Ninives ædificatione, exornatu, progressu & interitu ibi ago, ac annoto, qui reges ibi sedem suam habuere, quomodo Phulo rege Assyriæ in urbe Ninive Sceptrum tenente Jonas ibi prædicavit, & tandem quomodo Ninive sub ultimo rege Assyriorum Chynaladano, qui etiam Saracus & Sardana-palus appellabatur, per Cyaxarem regem Mediæ & Nabopollassarum regem Babyloniæ ultimis annis Josiæ regis Judæe funditus everfa ac destructa est, adeo ut οὐδὲν ἵχνος ἐπιλοιπὸν αὐτῆς, teste Luciano Samofata-Syro in dialogo *Contemplantes*, & ut non agnitus sit locus ubi olim urbs illa magna ac sanguinaria meretrixque pollens gratia sedem habuerit, secundum vaticinium Nahumi cap. 3: 1. 17. *ἡ πόλις ἡ*

§. II. Et quoniam hæc omnia lingua vernacula seu Belgica conscripsi, lubet hic Lectori Latino breve σχῆμα totius Assyriacæ Monar-

narchiæ a principio ad finem ante oculos proponere, simulque veram Nini Assyrii ætatem breviter indicare, unde error eorum, qui Ninum Beli vel Nimrodi filium dixere, clarissime patescet.

Noachus,

Semus,

Japhetus,

Chamus,

Hic genuit anno post diluvium 2.

Hic genuit anno post diluvium - - 2.

Assur, Arphaxad 35. ætat.

Cus, ætat. 35. genuit

Zela 30. ætat.

Nimrod, qui anno, cum Heber genuit Peleg, vixerat - - 64.

Heber 34. ætat.

101.

Hic Assur post  $\gamma\lambda\omega\sigma\sigma\acute{o}\upsilon\gamma\chi\upsilon\sigma\iota\nu$  egressus e terra *Sinear* abiit in *Assyriam*, ubi condidit Niniven, & prima fundamenta Assyriaci regni posuit, cultusque est ut *Belus Assyriacus*.

Hic *Nimrodus* post  $\gamma\lambda\omega\tau\pi\acute{o}\upsilon\gamma\chi\upsilon\sigma\iota\nu$  mansit in terra *Sinear*, condidit porro *Babylonem*, & prima fundamenta Chaldæi seu Babylonici regni posuit, cultusque est ut *Belus Babylonicus*.

Regnum Assyriacum.

Regnum Babylonicum.

Omnes successores As-

Post Nimrodum in re-

gno

furis, seu in regno  
ab Assure fundato  
haud noti sunt,  
nempe quinam ab  
Assure usque ad  
Abrahami tempora  
regnarunt.

gno Babylonico re-  
gnassent secundum  
Syncellum,

- |     |                      |     |     |
|-----|----------------------|-----|-----|
| 1.  | <i>Evochus</i>       | - - | 6.  |
| 2.  | <i>Chomas bolus</i>  | - - | 7.  |
| 3.  | <i>Porus</i>         | - - | 35. |
| 4.  | <i>Nechubes</i>      | -   | 43. |
| 5.  | <i>Abius</i>         | - - | 48. |
| 6.  | <i>Oniballus</i>     | -   | 40. |
| 7.  | <i>Chinzirus</i>     | -   | 45. |
| 8.  | <i>Mardocentes</i>   |     | 45. |
| 9.  | <i>Non nominatus</i> |     | 40. |
| 10. | <i>Sisimordachus</i> |     | 28. |
| 11. | <i>Nadius</i>        | - - | 37. |
| 12. | <i>Parannus</i>      | -   | 40. |
| 13. | <i>Nabonnadus</i>    |     | 25. |

439.

Tempore Abraha-  
mi regnavit in Assyria  
*Arioch*, qui Gen. 14: 1.  
dicitur *Rex Ellasar*, i. e.  
Assyriæ, ut supra di-  
ctum est.

Porro regnavit in  
Assyria tempore Oth-  
nielis Judicis fortean  
*Cuschan Rischataim*, rex  
Mesopotamiæ, & re-  
gionis ultra Euphra-  
tem *Judic.* 3: 8.

Verum quoniam hi  
anni non sufficiunt ad  
implendum spatium  
temporis inter Nim-  
rodum & Ninum, no-  
lo pro auctoritate ho-  
rum regum disputare.

Certum est, tempo-  
re Abrahami in Baby-  
lonia regnasse *Amra-  
phel*, uti Gen. 14: 1. di-  
citur.

Quinam post *Amra-  
phel* usque ad Ninum  
regnarunt, ignoratur.

Tan:

Tandem successit in regno Assyriaco *Ninus*, qui *Beli* filius dicitur, quia verus successor erat in regno *Beli Assyriaci*, id est Assuris; & qui *Ninus* victor factus regni *Beli Babylonici*, id est, Nimrodi, ergo

Regnorum Assyriorum ac Babyloniorum primus Monarcha

fuit

N I N U S.

§. 12. Vixit hic *Ninus* non tempore *Abrahami*, ut *Eusebius* aliique perperam statuere, sed aliquandiu, dicit *Cel. Perizonius*, post *Sesostridis* demum mortem *Assyriae* suae nomen extulit in celebritatem, & magnam partem *Asiae* sibi subiecit illius exemplum secutus &c. *Orig. Egypt. Cap. 17. pag. 298. vide & pag. 275. 276. 281.* ubi demonstrat *Vir Cel.* hunc *Sesostri* vixisse ad tempus servitutis *Cananae*, seu quum *Israelitae* adhuc erant subiecti *Jabino* regi *Cananaeorum*, & quum *Sesostri* *Palæstinam* regionem ἀμαχνην ἢ εὐπερίως occupabat, uti ex *Herodoto* constat. Unde non mirum in historia *Judicum* nullam fieri mentionem victoriae *Sesostridis*, qui more ævi antiqui contentus, victoria imperio abstinebat, & non mutabat populorum subiectorum rempublicam, satis habens si tributum sibi penderent, uti ex *Justino* probatur, qui *lib. 1. cap. 1.* expresse dicit, hunc *Sesostri* vel *Vexorem* fuisse antiquiorem *Nino*.

Class. V. Fasc. I.

B

§. 13.

§. 13. Sunt Viri docti, qui Sesostrin eundem faciunt cum Sefaco, qui vixit tempore Rehabeami, unde sequeretur Ninum post regem Rehabeamum vixisse; sed hoc satis refutatum est a Cel. Perizonio in *Orig. Ægypt. cap. 8. & 9.* uti & ab Amplissimo Joh. Henrico Coccejo in doctissima epistola scripta ad Cel. Franciscum Burmannum, & edita anno 1704. ad calcem libri Burmanni, quem scripsit contra Fred. Leenhofium. In qua epistola Vir Amplis. non quidem exacte ætatem Sesostridis annotat, judicat tamen vixisse duobus seculis post erectionem Tabernaculi Mosaici, & ex Ufferio notat, ab initio regni Nini usque ad initium belli Trojani fluxisse annos 73. cujus belli initium incidit tempore Protei regis Ægypti, filii Pheronis, nepotis Sesostridis, & qui Proteus Homero *Odyss. §. 385.* dicitur ἀθάνατος πρῶτος Ἀιγύπτιος. Post quem, Ramise vel Rhamesse Ægyptiis regnante, illum captum dicit Plinius *hist. nat. lib. 36. cap. 8.* Cum jam ab initio regni Sesostridis usque ad belli Trojani initium fluxerint anni 83. quia Helena rapta ab Alexandro, tempore Protei advenit in Ægyptum, ut Coccejus ex Herodoto demonstrat, sequeretur Ninum anno decimo regni Sesostridis vixisse, quia Ufferius statuit ab initio regni Nini usque ad initium belli Trojani fluxisse annos 73. Et sic Nini ætas in tempora Deborah incidere.

§. 14. Verum uti Justinus *lib. 1. cap. 1.* recte Vexorem vel Sefostrin antiquiorem Nino dicit, sic multo probabilius est, Ninum vixisse circa tempora Judicis Tholæ qui post Deboram, Gideonem & Abimelechum Israël judicavit anno mundi 2721. secundum Calvium in *Chronolog. pag. 184.* Si jam secundum hunc calculum ab annis 2721. abstrahamus annos 1656. a creatione ad diluvium, & annos 101. a diluvio ad confusionem linguarum, incideret tempus Judicis Tholæ, circa quod Ninus vixit, in annum post confusionem linguarum nongentesimum sexagesimum quartum, hoc modo,

A creatione Mundi ad diluvium	1656.
A diluvio ad confus. Linguar.	- 101.
A confus. Linguar. ad tempus Tholæ	964.
	<hr/>
	2721.

Unde error eorum patet, qui Ninum Nimrodi filium dicunt, quoniam Ninus fere mille annos post Nimrodum vixit. Imo patet hinc error magni Bocharti, quum Phalechi mortem dicit incidisse in Nini tempora, *Phaleg lib. 2. cap. 14.* Et quod Ninus jam tempore Judicis Tholæ vixit, statim ex defectio- ne Medorum ab Assyriis tempore Dejocis & Hiskiaë regis Judæ adhuc clarius ostendam.

§. 15. Hoc igitur tempore Judicis Tholæ Ninus, Assyriorum regnator, Sefostridis exemplum secutus, magnam Asiæ partem sibi subjecit, varios populos subegit, ut Diodorus

Siculus fufius refert *lib. 2. cap. 1. 2.* & magnitudinem quæfitæ dominationis continua poffeffione firmans, etiam Babyloniam feu totum regnum Chaldaicum superavit, ut & Zoroaftrem regem Bactrianorum & fic revera ut primus Monarcha tam Affyriaci quam Babylonici regni celebratur, unde etiam Iuftinus dicebat, *primus omnium Ninus, Rex Affyriorum, veterem & quafi avitum gentibus morem, nempe tueri magis quam proferre imperii fines, nova cupiditate imperii mutavit.* Qui Ninus ob famæ celebritatem *Affyrius* dicitur est *Jupiter, Chaldæis Hercules. §. 16.* Et hinc est, dicit D. Hieronymus, *quod omnes Græce & Barbaræ narrant hiftoria, hunc Ninum Beli filium primum omnium Afie regnaffe, qui apud Affyrios Ninum fui nominis condidit civitatem, quam Hebræi vocant נִינְוָה, Nineven. Hic, non vero Semiramis, ut Gyraldus in hift. Deor. Synt. 2. perperam allegat, adversus Zoroaftrem magnum regem Bactrianorum forti certamine dimicavit, & in tantam pervenit gloriam, ut patrem suum Belum referret in Deum: Qui hebr. dicitur נִינְוָה, & in multis prophetis maxime in Daniele & juxta Theodotionem sub idolo Babylonis hoc appellatur nomine, hunc Sidonii & Phœnices appellant נִינְוָה. Hieron. Comment. ad Hof. 2. oper. tom. 6. pag. m. 13. Sensus est, quod Ninus primum conditorem regni fui Affurem in urbe Ninive, ab ipfo jam admodum ampliata ac exornata, etiam coluit & ab omnibus fuis fubditis colere juffit ut*

נִינְוָה

bya, Baal, seu *𐤁𐤏*, Bel, Belum, id est, *Domini-  
num*, aut *Deum summum*. Notum enim est,  
Belum fuisse nomen supremi Dei in oriente  
apud diversas gentes, a quibus progenitores  
ac conditores in Deos sunt relati, unde varii  
Beli variis populis culti sunt. Et sic *Assur*,  
conditor regni Assyriaci, cultus est ut *Belus  
Assyriacus*, & *Nimrodus*, conditor regni Baby-  
lonici, ut *Belus Babylonicus*.

§. 16. Hinc jam porro videmus, quare  
omnes historici exteri ab hoc Nino omnes fere  
suas exordiuntur historias, uti & Plato *lib. 3.  
de Legib. pag. m. 809*. Assyriacæ potentiaæ ori-  
ginem ad Ninum refert: quia Ninus primus  
omnium fines imperii sui tam late protulit,  
primusque omnium, ut maximus Rex ac Mo-  
narcha dictus est. Et non mirum, gentiliū  
historicos ab hoc Nino suarum historiārum  
exordia cepisse, quoniam supra Ninum nil  
certi scivere. Notum enim est, quomodo  
Varro tria discrimina temporum tradidit, *pri-  
mum ab hominum principio ad cataclysmum*,  
quod propter ignorantiam vocetur *ἀόηλον*,  
*obscurum*; quoniam Gentiles de rebus ante di-  
luvium Noachi nihil non ignoravere: *Secun-  
dum a cataclysmo ad Olympiadem primam*,  
quod quia in eo multa fabulosa referuntur,  
*μύθικον*, *fabulosum*, nominatur: *Tertium a prima  
Olympiade ad nos*, (utor hic enim verbis  
Censorini de die natali *cap. 21.*) quod dici-  
tur *ἱστορικόν*, *historicum*, quia res in eo gesta  
veris

veris historiis continentur. Et cum Censorinus dicit, quod *tempus secundum, vel fabulosum, non plane quidem scitur, sed tamen ad mille circiter* & 100. annos esse creditur, a priori scil. cataclysmo, quem Ogygium dicunt, usque ad primam Olympiadem, non necesse est, ut cum Lindenbrogio hic tam vehementer de integritate hujus Loci dubitemus, aut magnum *αὐτάρτητα* statuamus; quoniam a cataclysmo primo seu Ogygio, i. e. Noachico, uti in Libro meo belgico de Diluviis pag. 102. edit. 2da demonstravi, usque ad primam Olympiadem præterpropter tot anni fluxerunt, quot Censorinus statuit, nempe 1600. Nam secundum Gutberlethum in *Chronologia* pag. 104. incepere Olympiades Græcorum, Jphiti nimirum, non Herculis, anno ultimo Phul-Belochi, & ultimo regis Azariæ, seu anno mundi 3196; si ab his annis jam abstrahamus annos a condito mundo usque ad diluvium 1656, tum fluxerunt a diluvio usque ad primam Olympiadem anni 1540: ergo differentia daretur inter Gutberlethum & Censorinum annorum 60. Quare potius errasse puto Africanum & Eusebium, statuentes a Diluvio Ogygis, i. e. Noachi, usque ad primam Olympiadem fluxisse tantum annos mille & viginti. *Euseb. præp. Evangel. lib. 10. pag. m. 147.*

§. 17. Sed quidquid est, hoc fatentur jam scriptores ὁ ἕξω, alique docti historiographi, rerum gestarum ante hæc tempora nullam cer-

certam seu accuratam esse notitiam: ita Africanus apud Eusebium loco allegato & Justinus Martyr in *Paræn. ad Græcos*, scripsere, οὐδὲν πρὸ Ὀλυμπιάδων ἀκριβὲς τοῖς Ἕλλησιν ἰσχυρίζεται, nihil ante Olympiades accurate Græcis scitur. Quoniam constat historias Græcorum ante Olympiades plenas esse fabularum. Et cum Solinus dicit, Olympicum certamen, ab Hercule editum, ab Iphito Elio instauratum esse post excidium Trojæ anno quadringentesimo octavo, uti & Vellejus Paterculus scribit *lib. 1.* non mirum est, Diodorum Siculum in præfatione scripsisse, se res ante bellum Trojanum certa fide non definire, quia fide dignum παράπηγμα illius temporis scriptorum inopia extet nullum. Imo multo minus mirum tunc est, quod tempora ante Ninum, qui jam Trojanum bellum antecessit, adhuc aliquot annos, non tam accurate demonstrantur, sed sæpe διασφάλλονται, a vero aberrant, uti & Macrobius indicat, ac ita diserte loquitur, *supra Ninum, a quo Semiramis secundum quosdam creditur prognata, nihil præclarum in libros relatum est. in Somnio Scipion. cap. 10. pag. m. 127.* Sed Ninus, dicit Diodorus Siculus, primus omnium regum fuit, τῶν εἰς Ἰσραὴλ καὶ Φήμην παραδεδομένων, qui scriptores rerum suarum nacti sunt. Idcirco concludo, cum omnia ante Olympiades, ante bellum Trojanum, imo ante Ninum ab auctoribus incerta tradantur, & cum Ninus primus omnium

tam longe lateque dominatus sit, non mirum esse, omnes a Nino incipere.

§. 18. Et huic Nino jam successisse in Assyriaco imperio dicitur Semiramis, ἡ βασίλισσα τῶν γυναικῶν, ut Æliano dicitur l. 7. c. 1. & quam Euphorion ob libidinis fervorem διμβρῆν vocabat. De hac vira, seu viragine antiquitas fabulosa mira nobis tradidit, quæ fidem non merentur, licet Diodorus Siculus in describenda ipsius potentia admodum ampulletur. Vulgo dicitur conditrix Babylonis & uxor Nini. Licet alii tradant eam non uxorem, sed filiam Nini fuisse, ut modo ex Macrobio vidimus, & Conon apud Photium annotat, *narrat. 9.* Deinde constat nobis ex Sacra Scriptura non Semiramidem, sed Nimrodum primum Babylonis fuisse conditorem. Et Herodotus Semiramidi nullum aliud opus tribuit nisi χώματα, aggeres, quibus Euphratem coërcuit, antea frequentius restagnare solitum. *lib. 1. pag. m. 84. dum etiam lib. 3. pag. 251. Edit. Steph. 1592. mentionem facit portæ Semiramidis, uti & portæ Νινίων, Niniorum: adeo ut quædam incrementa & ornamenta urbis Babylonis Nino & Semiramidi adscribi debere videantur, nullus tamen dubito, quin multa Semiramidi adscripta sint, quæ ad Nebucadnesarem & ejus uxorem Nitocrin pertinent, uti & ex Josepho discere licet lib. 1. contr. Apionem, pag. m. 1045. ubi & κρημασδὸν ἀπαίδευσον hortum pensilem non Semiramidis, ut vul-*

vulgo traditur, sed Nebucadnesaris opus, factum in gratiam uxoris suæ Medicæ, filiæ nempe Cyaxaris, appellat.

§. 19. Semiramidi, dicit Diodorus Siculus, successit *Ninyas*, filius ejus, huic successisset *Arius*, huic *Aralius*, huic *Baleus*, huic *Armatrites* vel *Armamitres*, quem Cel. Gurtlerus *orig. mundi lib. 1. cap. 7.* perperam dicit fuisse *Amraphelem*, de quo Moses *Gen. 14:1.* mentionem facit; sed errare virum Cel. uti & omnes illos, qui Ninyam dicunt Amraphelem, patet, quia Amraphel vixit tempore Abrahami, & Ninus, Pater Ninyæ, aliquot centum annos post Abrahamum, nempe tempore judicis Tholæ, uti statim demonstrabo. Post Armatritem regnum tenuisse dicitur *Belochus Priscus*, &c. & trigessimus, ut Diodorus tradit, vel trigessimus sextus, ut Eusebius, vel trigessimus quintus, ut Horatius Turfelinus, vel trigessimus septimus, ut Joh. Henr. Ursinus, vel trigessimus octavus Assyriorum rex, ut alii notant, vocatur *Sardanapalus*, vel *Tonosconcoleros*, homo ille mollissimus ac pronissimus in Venerem, cujus sepulcro insculptum traditur hoc bovis, non hominis, epitaphium, ἔσθιε, πίνε, ὄχευε, ὡς τὰ ἀδικὰ ὀυδενός ἐστιν ἀξία, i. e. *ede, bibe, futue, nam cetera sunt nihil.* Vellejus Paterculus *lib. 1. cap. 6.* hunc Sardanapalum regem Assyriorum mollitiis florentem tertio & tricesimo loco ab Nino & Semiramide natum dicit, ita ut semper successor regni pa-

terni foret filius, & omnes hos reges a Nino  
 usque ad Sardanapalum in Assyrio regno do-  
 minati essent annis 1070. vel annis 1240. ut  
 Eusebius *in Chron.* ait, vel annis 1360. ut Cte-  
 sias Cnidius tradit apud Diodorum *lib. 2. cap.*  
*6.* vel annis 1300. ut Justinus ait, *lib. 1. cap. 2.*  
 vel annis 1400. ut Diodorus ipse loquitur, in  
 fine *cap. 7. lib. 2.* vel annis 1160. ut Orosius  
 scribit *lib. 2. cap. 3.* vel annis 1330. ut Bellar-  
 minus tandem dicit. Verum hæc omnia esse  
 fabulosa ac falsa, ex jam dictis cuilibet patere  
 potest, quoniam omnes scriptores *ὁ ἔξω* a Ni-  
 no incipiunt, a quo usque ad ultimum Sarda-  
 napalis annum tantum fluxerunt anni præter-  
 propter quadringenti. Quare, miror Virum  
 doctiss. Nic. Gurtlerum *de orig. mundi l. 1. c. 7.*  
*§. 36.* hanc fabulosam traditionem adhuc de-  
 fendere, dicendo, & Justinus recte scripsit, *As-*  
*syrios imperium mille trecentis annis obtinuisse.*  
 Sed quare Justinus magis recte scripsit quam  
 Diodorus Siculus? quare Herodotus, tradens  
 Assyrios non nisi 520. annos regnasse in Asia,  
 fallitur? vellem, ut Vir. Cel. hoc demonstra-  
 set. Dicit quidem, *verum & S. literæ testantur,*  
*Nimrodi jam Abrahamique ætate in Babylonia at-*  
*que Assyria regnatum fuisse.* At Ninum rerum  
 potitum fuisse tempore nativitatis Abrahami,  
 quod ex Eusebio conatur probare, falsissimum  
 est, uti statim ex collatione Herodoti cum  
 Sacra Scriptura clarissime patescet, non Ju-  
 stinum ac Bellarminum, ut Alstedius dicit,

sed Herodotum cum scriptura omnium optime congruere. Verum si a Nimrodi regimine incipiamus, fateor tunc usque ad Sardanapalum fluxisse præter propter annos 1400.

§. 20. Porro notandum est post Sardanapalum non exspirasse Monarchiam Assyriacam, ut Ctesias apud Diodorum ait, non enim *κατέλυσαν* subverterunt, aut *dissolverunt*, aut *destruxerunt* Medi urbem Niniven aut imperium Assyriacum, imo falsissimum est, quod Arbaces Niniven solo æquavit, ut Diodorus narrat, & omnino verum non est, quod Justinus cum Diodoro tradit, Assyriacum imperium hoc tempore ad Medos transiisse. Devicerunt quidem Arbaces & Belesis regem suum Sardanapalum, non tamen destruxerunt, sed potius diviserunt dominatum Assyriacum, adeo ut Arbaces, primum præfectus Medorum, jam ut rex inciperet imperare Medis: dum Assyriacum imperium continuatum est per Phulum, qui sibi in urbe Ninive sedem regiam eligebat, circa quod tempus Propheta Jonas in urbe Ninive prædicabat, ergo urbs illa tunc non everfa, sed valde florens fuit, & sedem regiam in ea habuerunt non tantum Phul, sed & ejus Successores, Tiglath Pileser, Salmanassar, Sanberib, Assarbaddon, & alii. Dum in Babylonia Nabonassar & alii Assyriis obnoxii erant usque ad Merodachum. Sed an jam inter Sardanapalum, devictum ab Arbace, & Phulum regem Assy-

Assyriorum intercedant anni 106. ut Petavius statuit *Rationar. temp. lib 2. cap. 6.* vel anni 103. ut Calvisius in *Chronolog. pag. 197.* § 203. ait, intra quod spatium temporis Ninive, ab Arbace destructa, iterum fuisset de novo constructa ac instaurata, ut Petavius loquitur, vellem, ut aliquis clarius demonstraret. Ego nullus dubito, quin Assyriacum imperium continuatum sit per Phulum.

§. 21. Ergo prima illa Monarchia jam triplicem habebat faciem, nempe Medicam, Assyriacam & Babylonicam, hoc modo.

<i>Reges Medorum.</i>	<i>Reges Assyriorum.</i>	<i>Reges Babylonicorum.</i>
<p>1. <i>Arbaces,</i> vel <i>Arbactus.</i> Vellejo <i>Phar-</i> <i>naces.</i> Dicitur regnasse an- nos 28.</p> <p>2. <i>Manda-</i> <i>nes</i> vel <i>Man-</i> <i>dauces.</i> Hoc regnante vi- detur regnum Medorum a- gitatum, &amp;</p>	<p>1. <i>Phul,</i> qui Menahem re- gem Israël tributarium fecit. 2. <i>Reg.</i> 15; 19. dicitur regnasse an- nos 48.</p> <p>2. <i>Phul-As-</i> <i>sur,</i> seu <i>Tiglath-</i> <i>Pileser,</i> qui re- gem Syriæ vi- cit, cui Achaz munera misit, &amp; qui Gilead,</p>	<p>Secundum canonem Pto- lomæi, in quo omnes dicun- tur <i>reges</i>; alias usque ad <i>Me-</i> <i>rodachum</i> fue- runt tantum <i>Præfecti.</i></p> <p>1. <i>Nabonas-</i> <i>sar,</i> non <i>ἀνοπι-</i> <i>λῆς,</i> sed <i>ὀπι-</i> <i>δυνος,</i> obno- xius regi Assy- rio. Ope pe- magnam</p>

magnam partem subiectam Assyriis, uti liquet ex 2. Reg. 17: 6. regn. ann. 40.

3. *Sofarmus* vel *Sofarmenes*. regn. ann. 30.

4. *Articas*, vel *Articarnis*. regn. ann. 30. vel 50.

5. *Arbianes*, vel *Cardicceas*, regn. ann. 22. NB. Hos quinque Reges Medorum *Ctesias* & *Metasthenes* ita nominant. An vero ut Reges *αὐτοκρατοῦς* tot annos regnarunt, dubito, imo falsum est.

Galilæam & terram Naphthali occupavit. 2. Reg. 15: 29. regnasse dicitur annos 23.

3. *Salmanassar*, aut *Enemassar*, qui 6to anno *Hiskia* regis Judæ, & nono *Hoseæ* regis Israël, decem tribus in Assyriam transportabat, & regnum *Sarmaria* vastabat. 2. Reg. 18: 9. 10. 11. regnavit ann. 10. vel 17.

4. *Sanherib*, vel *Sennacherib*, etiam *Sargon*. Qui urbem Hierosolymam ac Judæ regnum occupare co-

ritorum *Astronomorum* accuratiorem calculum fecit, unde æra *Nabonassari*, quæ incipit ab anno 14to *Jothami* regis Judæ, & cujus primus *Laterculus* usque ad *Cyrum* continet annos 209. Regnavit annos 14.

2. *Nadius* vel *Nabius* regn. 2.

3. *Chinsirus* vel *Chozirus*, & *Porus*, regn. 5.

4. *Jugæus* vel *Juleus*, forte & *Baladan*, regn. 5.

6. De-

6. *Dejoces* vel *Arsæus*, qui justam regiminis formam instituit, ac *Ecbatanam* condidit, *Medorum*que regnum stabilivit, & sub quo *Medi*, ad hoc usque tempus subjecti *Assyrii*, se in *Assyriam* vindicarunt, & ab *Assyriis* defecerunt, cum *Assyrii* a *Nino* ad hunc *Dejocem* in *Asia* regnassent annos 520. teste *Herodoto*, qui hunc *Dejocem* primum *Medorum* regem appellat, ante quem *Medi* maxima ex parte sub-

nabatur, at in cuius exercitu *Angelus Domini* fortitan peste una nocte profligavit 185000. militum. Interfectus est in templo idoli sui a suis filiis. regn. an. 7.

5. *Asarhadon*, vel *Assaradinus* etiam *Achirdonus*. *Tob.* 1: 24. & magnus ac gloriosus *Asnaphar* *Esr.* 4: 10. Jam in regno *Assyriaco* omnia turbata erant. Bellum gessit hic contra fratres *Parricidas*, idcirco *Dejoci*, ac *Merodacho*, ut & *Hiskia*, ab ipso deficienti-

5. *Merodach Baladan*, qui occasione cladis *Sennacheribi* & belli *Asarhadonis* cum suis fratribus ab *Assyriis* defecit, se jam regem *Babyloniae* faciebat, & foedus cum *Hiskia* iniit. *Jes.* 39: 1. Unde *Babel* dicitur regnum *Merodachi*. *Jer.* 50: 2. dicitur in *Canone Ptolemaei Mardokempados*, & regnavit ann. 12.

6. *Arkianus* 5. interregnum 2.

7. *Belibus* 3.

8. *Apronia-dius* 6. jecti

jecti fuere Assyrii, & habitasse dicuntur κατὰ κώμας, per vicos. regnavit hic Dejoces annos 53. & in libro Judith. cap. 1: 1. 2. 3. dicitur Arphaxad, contra quem Nabouchdonosor, i. e. Saosduchinus, bellavit duce Holoferne.

7. Phraortes vel Artynes. Hic fundamentis a Dejocoe positis regnum Medorum amplificavit, Persas bello vicit, ac Assyrios, οἱ Νινυοῦ ἐχόν, ut Herodotus ait, bello aggress-

tibus, resistere non potuit. regnavit in Assyria annos 37. dum in Babylonia regnabant Merodach, Arkianus, Belibus, Aproniadius, Rigebelus, Meseffi Mordach, post quem Assarhaddon Babylonem occupabat, & adhuc Rex Babyloniae regnabat annos 13.

Post ipsum secuti sunt Saosduchinus & Chinaladanus, sub quo destructa est Ninive, & exspiravit regnum Assyriacum.

9. Rigebelus 1.  
 10. Meseffi-Mordach 4.  
 interregnum 8.  
 11. Asarhaddon, seu Assaradinus, qui post hoc interregnum occupavit Babylonem, & sic, uti Rex Assyriae erat, jam etiam rex Babyloniae factus est, & sic misit colonos ex agro Babylonio in Samariam, uti ex 2. Reg. 17: 24. collat. cum Esr. 4: 2. clarissime patet. Imo captivum duxit Manasse 2. Chr. 33: 11. & regnavit adhuc annos 13.  
 sus

sus est, in quo bello  
periit, cum regna-  
set ann. 22.

8. *Cyaxares pri-  
mus*, seu *Astybarus*,  
etiam dictus *Abas-  
verus*: *Tob. 14: 17.*  
ille est, de quo *Æ-  
schylus* in *Persa vs.*  
*761.* ait, το δ' ἔργον  
ἦν υἱοῦ, opus scil. Patris  
*Phraortis*, perfecit.  
Nam bellum cum  
Assyriis continua-  
vit, & ope *Nabopol-  
lassari* urbem Nini-  
vem occupavit ac  
delevit, ac regnavit  
annos 40.

9. *Astyages*, seu  
*Apanda*, etiam dici-  
tur *Abasverus*, i. e.  
magnus princeps.  
*Dan. 9: 1.* Duxit  
uxorem *Arienam*,  
filiam *Halyattis* *Ly-  
dorum* regis, foro-  
rem *Croesi*: ex qua  
genuit filium *Cya-*

12. *Saosduchinus*, Rex  
*Babelis* & *Ninives*, idem  
qui in libro *Judith* voca-  
tur *Nabouchdonosor*, cujus  
belli imperator erat *Ho-  
lophernes*, a *Juditha* inter-  
fectus. regn. 20.

13. *Chinaladanus*, qui et-  
iam *Saracus* & *Sardanapa-  
lus* dicitur. Qui in urbe  
*Ninive* sedem regiam te-  
nuit, ac cum quo regnum  
Assyriacum exspiravit, &  
urbs *Ninive* deleta est  
per *Medos* ac *Babyloni-  
os*, unde ex ipsius historia  
quædam narrantur de  
*Sardanapalo* victo per  
*Arbacem*. regn. 22.

14. *Nabopolassar*, vel  
*Nabocollassar*, aut *Na-  
bouchdonosor primus*, erat  
præfectus *Babyloniæ*, at  
inito foedere cum *Cya-  
xare* primo, rege *Mediæ*,  
Regem suum *Chinalada-  
num* armis vicit, ac ur-  
bem *Niniven* funditus  
delevit, annis ultimis re-  
gni *Josia*, regis *Judæ*. regn.  
21.

xarem

Xarem secundum  
 seu Darium Me-  
 dum, & filiam Man-  
 danen, elocatam  
 postea Cambysi, pa-  
 tri Cyri Magni.  
 Qui Cyrus hunc a-  
 vum Astyagem ope  
 Harpagi ducis vi-  
 cit, eumque magnæ  
 Hircanorum genti  
 preposuit.

10. *Cyaxares 2dus*  
 seu *Darius Medus*,  
 filius *Abasveri*, Dan.  
 9: 1. i. c. *Astyagis*.  
 Errat ergo Scaliger,  
 dicens *Darium Me-*  
*dum* fuisse *Naboni-*  
*dum*, cum *Nabonidus*  
 erat *Belsasar*. Hic  
*Cyaxarus* seu *Darius*  
*Medus* fuit avuncu-  
 lus, ac *Socer* Cyri;  
 regis Persarum,  
 cum quo *Belsasa-*  
*rem* vicit, ac Baby-  
 lonem occupavit,  
 & post cujus mor-  
 tem *Cyrus* ut Mo-  
 Class. V. Fasc. I.

15. *Nabouchdonosor se-*  
*cundus*, seu *Nebucadnesar*  
*magnus*, etiam *Nabocollas-*  
*sarus*. Uxorem duxerat  
*Nitokrin*, filiam *Cyaxaris*  
 regis *Mediæ*. Post ever-  
 sam *Niniven* *Babyloni-*  
 cum imperium ad ἀρχὴν  
 perduxit. Urbem *Baby-*  
 lonem admodum am-  
 pliavit, ac κρημῶν παρὰ-  
 δεῖον, hortum pensilem  
 aliaque multa ædificia fe-  
 cit, unde jactantia ejus  
*Dan. 4: 30*. Fuit quoque  
 everfor *Hierosolymæ*, ac  
 totius regni *Judæ*. Imo  
 imperii terminos usque  
 ad columnas *Herculis*  
 extendit. regnavit ann.

43.

16. *Evilmerodach*, vel  
*Ibouarodomus*; qui capti-  
 vum regem *Jechoniam*  
 è carcere in solio altiore  
 collocavit, ac in honore  
 habuit. Obiit morte vio-  
 lenta, regn.

2.

17. *Neriglissarus*, vel *Ne-*  
*rikassolassar*, duxerat so-  
 rorem *Evilmerodachi*;

G.

at

narcha Persarum, at affinem suum interfe-  
 Babyloniorum, Me- cit, & regnavit ann. 4.  
 dorum &c. factus 18. *Laborosoarchodos*,  
 est, populoque Dei filius Neriglissari, regna-  
 in patriam rever- vit tantum menses 3. ideo  
 tendi potestatem a Ptolomæo omiffus.  
 concessit.

19. *Belsajar*, aut *Nabo-  
 nidus*, & *Labynitus* 2dus  
 apud Herodotum, Filius  
 Evilmerodachi. Vinci-  
 tur a Cyro Persa, & Cya-  
 xare 2do seu Dario Me-  
 do. regn.

17.

209.

§. 22. Sic ergo ante oculos proposui, Le-  
 ctor, breve *σχῆμα* totius primæ Monarchiæ.  
 Restat jam, ut adhuc clarius demonstrẽm,  
 quod promisi, nempe Ninum vixisse tempore  
 Judicis Tholæ. Hoc jam demonstro ex annis  
 regiminis Assyriorum in Asia, a Nino usque ad  
 Dejocem, collatis cum Chronologia Sacræ  
 Scripturæ. Vixit enim hic Dejoces Medo-  
 rum rex tempore Assarhaddonis, regis Assy-  
 riorum, & Merodachi, eo tempore regis Ba-  
 byloniæ, uti & ætate Hiskiaë regis Judæ, sic  
 uti Celeb. Vitringa quoque annotat, ac defe-  
 ctionem Medorum ab Assyriis sub hoc Dejoce  
 in initia regiminis Assarhaddonis incidisse di-  
 cit. Et nullus dubito, quin clades Sennache-  
 ribi ut & bellum Assarhaddonis cum fratribus

Par.

Parricidis Medis occasionem deficiendi ab Assyriis dederit. Dixi enim Medos usque ad hoc tempus maxima ex parte fuisse obnoxios Assyriis. At hoc tempore Medi non tantum se in αὐτονομίαν vindicarunt, & ab Assyriis defecerunt duce, vel sub rege suo Dejoce; sed καὶ τὰ ἄλλα ἔθνη, & alia gentes quoque, dicit Herodotus lib. 1. pag. m. 46. similiter ab Assyriis defecerunt: Procul dubio respicit Babylonios, qui etiam ad hoc usque tempus subjecti fuerunt Assyriis; at qui jam sub Merodacho, antea Satrapa, nunc rege Babyloniae, uti vocatur Isf. 39: 1. quoque defecere, quique Rex Merodachus amicitiam Hiskiae affectavit, regnumque suum Babylonicum firmavit. Vide Vitringae Hypotypōs. hist. sacr. period. 5. §. 52. pag. m. 75. Et sic quoque Flavius Josephus antiq. Jud. lib. 10. cap. 3. hanc Medorum defectionem refert ad tempus regis Hiskiae, & Baladanis, ubi ait, ἐν πύτῳ τῷ χρόνῳ συνέβη τὴν Ἀσσυρίων ἀρχὴν ὑπὸ μηδῶν καταλυθῆναι, circa eadem ferme tempora imperium Assyriorum per Medos dissolvi contigit. Cum nempe, ut statim addit, Babyloniorum Rex Baladas, missis ad Ezechiam legatis, cum muneribus, invitavit eum ad Societatem & amicitiam. Ex hac jam defectione Medorum sub hoc Dejoce collata cum historia sacra clarissime patescet error illorum scriptorum, qui Assyriaco imperio a Nino usque ad Sardanapalum vel 1300. annos cum Justino, vel 1360. cum Ctesia, vel

1400. cum Diodoro Siculo vel 1070. cum Vellejo Paterculo, adscribunt. Errat quoque doctissimus Vallemond, ex Usserio notans, Assyriorum regnum stetisse, a Nino usque ad Sardanapalum devictum ab Arbace, annos 520. addens, Usserium hic imitatum fuisse Herodotum. Uti & Cel. Georg. Hornius in brevissima serie *univ. hist. orb. polit. part. 3. pag. m. 123.* quoque non recte dixit, Herodotum tradidisse Assyriorum Imperium a Nino usque ad Sardanapalum non quidem mille trecentos annos stetisse, ut vulgo statuitur, sed non nisi quingentis & viginti annis regnatum esse. Verum nullibi hoc dicit Herodotus, qui *lib. I. pag. m. 46.* dicens, Ἀσσυρίων ἀρχόντων τῆς ἀνω Ἀσίας ἐπ' ἑπεὰ ἑξήκοντι ἢ πεντακόνσια, Assyrios annis quingentis & viginti superiorem Asiam obtinuisse, horum annorum terminum discrete refert ad defectionem Medorum sub hoc Dejoce, sub quo Medi ἀπωσάμενοι τὴν δουλοσύνην ἠλευθερώθησαν, excusso servitutis jugo in libertatem sese asseruerunt, uti statim fusius eam rem describit. Cum jam omnes historici a Nino incipiant, uti dictum est, & cum a Nino usque ad hanc defectionem Medorum sub Dejoce fluxerint tantum anni 520. luce clarius patet, Nini ætatem debere referre ad tempora Judicis Tholæ: ratio est, quia defectio hæc accidit tempore regis Hiskia, & si jam retro ὑποψήφισις annorum ab Hiskia usque ad Tholam fiat, comperiemus eum annorum numerum,

rum, quem Herodotus dicit fuisse ab initio imperii Assyriorum usque ad hanc defectio- nem. Unde patet, omnes illos scriptores non tantum errare, qui ætatem Nini supra tempora Judicis Tholæ collocant, sed & illos etiam διασφάλλεσθαι, a vero aberrare, qui Ni- num Nimrodi aut Beli filium dixere, cum Ni- nus fere mille annos post Nimrodum vel γλωσσοσύχυσιν vixerit.

§. 23. Sed ut omnia, quæ dixi satisque probavi, etiam ad oculum demonstrentur, ecce hanc collationis tabulam, ubi Nini ætas ponitur in annum 13tium Tholæ, qui judica- vit annos 23. ergo

Adhuc pro Thola restant	11 -- Jud. 10: 2.	Ninus, rex
Jair judicavit an- nos	22 -- Jud. 10: 3.	Assyrio- rum, &
Jephtha	6 -- Jud. 12: 7.	Babylon.
Ebsan	7 -- Jud. 12: 9.	regnasse
Elon	10 -- Jud. 12: 11.	dicitur
Abdon	8 -- Jud. 12: 14.	ann. 52.
Samson	20 -- Jud. 15: 20.	Smiramis.
Eli	40 -- 1 Sam. 4: 18.	Ninyas.
Samuel & Saul	40 -- Act. 13: 21.	
David	40 -- 2 Sam. 5: 4.	
Salomon	40 -- 1 Reg. 11: 42.	Arius.
Rehabeam	17 -- 1 Reg. 14: 21.	Aralius.
Abia	3 -- 1 Reg. 15: 2.	Baleus.
Afa	41 -- 1 Reg. 15: 10.	Armami- tres.
Jozaphat	25 -- 1 Reg. 22: 42.	

Joram solus	4 --2	Chr. 21: 5.	Sardanapa-
Ahasia	1 --2	Reg. 8: 26.	lus.
Athalia	6 --2	Reg. 11: 2.	Phul,
Joas	40 --2	Chr. 24: 1.	Tiglat.
Amasia	29 --2	Chr. 25: 1.	Salmanaf-
Interregnum	12 --2	Reg. 15: 1.	far.
Azaria seu Uzzia	52 --2	Chr. 26: 3.	Sanberib.
Jotham	16 --2	Reg. 15: 33.	Cujus cla-
Achas	16 --2	Reg. 16: 2.	des accidit
Hiskias	14 --2	Reg. 18: 13.	anno 14to
			Hiskia.

250.

Jam statim post cladem Sennacheribi, quæ 14to anno Hiskia accidit, ac initio regni turbati Assarhaddonis defecere Medi sub Dejocce, & Babylonii sub Merodacho, postquam Assyrii a Nino annos 520. regnassent, ergo Nini ætas incidit in annum 13tium Judicis Tholæ, quia a 13tio anno Tholæ usque ad 14tum annum Hiskia tot fluxerunt anni, nempe 520. Q. D. E.

§. 24. Et quoniam æra Nabonassari, cujus jam mentionem feci, admodum utilis est, addo coronidis loco collationem meam hujus æræ cum sacra historia.

*Canon Ptolomei.*

*Reges Jude.*

Nabonassar	14.	Incidit hæc æra Na-
Nadius	2.	bonassari in finem an-
Chozirus & Porus	5.	ni 14ti Jothami, qui re-
Jugæus	5.	gnavit annos 16, ergo
Mardokempados	12.	restant
		2.
		Achaz

Arkianus	5.	Achaz regnavit	16.
interregnum	2.	Hiskias	29.
Belibus	3.	Manasse	55.
Aproniadius	6.	Amon	2.
Rigebelus	1.	Jofias	31.
Mefeffi Mordach	4.	Joachas 3. menses.	
interregnum	8.	Quarto anno Joja-	
Affaradinus	13.	chimi incipit captivi-	
Saosduchinus	20.	tas Babylonica	4.
Chynaladanus	22.	Anni captivitatis	
Napollassar	21.	usque ad Cyrum, qui	
Nabocollassar	43.	Babylonem occupa-	
Ilvarodamus	2.	vit, ac Judæos dimisit.	
Nerikassolassarus	4.		70.
Nabonadius	17.		209.
	<hr/>		
	209.		

Et uti hæc æra Nabonassari incidit in finem anni 14ti Jothami regis Judæ, sic ea quoque per consequens incidit in annum 6tum Pe- cachi, Regis Israelis, & in annum 13tium Ti- glat Pileferis regis Assyriorum, uti in com- mentario meo in Librum Jonæ quoque fusius demonstrabo. Jam finem huic dissertationi impono.

FRIDERICI CHRISTOPHORI  
NEUBOUR,

Prætoris Göttingensis,

Meditatio Juridico-  
Critica

ad Dictum Paulinum

ad Gal. IV: 1. 2.

*Quanto tempore heres infans est, nihil differt à servo, cum sit Dominus omnium: sed sub Tutoribus & Dispensatoribus est, usque ad tempus præfinitum a Patre.*

**I**N hisce verbis Apostolus quædam *α'ραγώ-  
γως*, contra analogiam Juris, asserere vi-  
detur. Ait enim, *Pupillum*, quem omnes  
intelligunt per *heredem infantem*, nihil  
differre a *Servo*; cum tamen sit *liber*, cum sit  
*Ingenuus*, quæ sunt *Servi* opposita; Præterea  
in *personarum numero*, *sui juris*, *Paterfamilias*, ac  
ipso Paulo fatente, *Dominus omnium*, sc. *bonorum*.  
Accedit quod *Pupillus* Tutore auctore omnia  
recte agit, stipulatur, promittit, hereditatem  
adit: imo & sine Tutoris auctoritate, se qui-  
dem aliis non obligat, sed alios sibi, & in uni-  
versum conditionem suam meliorem facere  
potest,

potest, modo sit infantia proximus, quam significationem τὸ ἡμισὶς vox minime respuit, cum Germanico unmundig ipso etymo conveniens.

Sed quanta hic differentia a *Servis*! qui dominio alieno contra naturam subjiciuntur, qui rerum numero, non personarum, habentur, qui nec alios sibi, nec se aliis, obligare possunt, qui quodcunque acquirunt id Domino acquirunt, qui denique, *quatenus servi*, nec hæredes institui, nec legatum capere possunt, & quæ sunt infinitæ aliæ differentiarum species.

Neque propterea, *quod sub Tutoribus est*, Pupillum ullo modo cum Servo comparare licet. Quamvis enim Tutela vis ac potestas sit, est tamen potestas in capite libero, neque jus vitæ & necis, quod Domini in servos habebant, imo vix modicam coercitionem, involvens, nec Tutoris causa, sed Pupillorum gratia, constituta, ad tuendum eum, qui propter ætatem se ipse defendere nequit. Cumque dominis facultas daretur Servos oppignorandi, vendendi, donandi, legandi, Pupillus ne quidem adrogari poterat. Tutoribus enim in Pupillos tantam esse auctoritatem potestatemque fas non est, ut caput liberum, fidei suæ commissum, aliene ditio- ni subjiciant, inquit Gellius in Noctib. L.V.c.19.

Vides igitur jure & legibus refragantibus statui: Nihil interesse inter Pupillum & Servum, qui toto cælo differunt. Excusat quidem

Apostolum Joh. Samuel STRYKIUS, celeberrimi Samuelis filius, in eleganti Exercitatione Academica, *De Jurisprudencia Pauli Apostoli*, Cap. I. §. 16. eumque respexisse dicit, ad priscum illum juris Romani statum, quo filii fam. parum, vel nihil, a Servis differebant. Cum tamen Cl. Autor in fine addat: *Verba Pauli non quidem ad filium fam. spectare, sed ad eum, qui patre orbatus est.* Atqui nollem ita excusari Virum Theopneuston, ut κατὰ βασιν εἰς ἄλλο γένος commississe & alio respiciendo, plane falsa protulisse jure possit argui.

Verum hæc non sola difficultas est, quæ in hoc dicto Paulino ostenditur. Adest alia profecto non minor à norma Legum deviatio, Quippe docet Apostolus: Pupillum sub Tutoribus esse, usque ad tempus præfinitum à Patre. At vero quæ lex? quæ constitutio? quæ observantia? unquam Patri facultatem dedit tempus, quo filius in suam tutelam venire debeat, sive Testamento, sive alia quavis voluntatis declaratione, præfigendi. Certe Romanorum instituto terminus tutelæ; non Patris præscripto, sed lege, definita est. *vid. tit. Inst. quib. mod. tut. fin. §. C. quando Tut. vel Curat. esse desinit.* De qua re, præter illa, quæ in Juris Romani Corpore ubivis occurrunt, elegans locus videre est apud *Macrobius, in Comment. ex Cicerone in somnium Scipionis L. I. c. 6.* Ubi, post annos bis septem, inquit, homo ipsa ætatis necessitate pubescit, tunc enim moveri incipit vis gene-

generationis in masculis & purgatio fœminarum, inde & Tutela puerili virile quasi jam robur absoluitur. De qua tamen fœminæ, propter votorum festinationem, maturius biennio legibus liberantur.

Nec ullum pro Pauli asserto in Græcorum moribus præsidium est. Nam nec hi unquam concessere Patri, ut tempus & terminum Tutelæ ipse præfiniret, sed Legibus statuerant, ut *ὁ ἐπίτροπος* continuarent Tutelam, ad annum usque ætatis Pupilli vicesimum, ceu variis auctoritatibus probat *Petitus, tit. Tutela. p. 271.*

Quod si excusationibus hic iterum locus concedatur, possunt equidem nonnulla in medium proferri, quæ Paulum induxisse videantur, ut *ἂν ἕως τῆς πενήτης τῆς πάλῃος* tutelæ tempus currere diceret. Magna scilicet veneratio erat ultimarum Voluntatum inter Græcos, pariter atque Romanos, & Lex XII. Tabularum, ex quarum fonte totius rei testamentariæ rationem apud hos manasse constat, valde generalis: PATER. FAMILIAS. UTI. LEGASSIT. SUPER. FAMILIA. TUTELAVE. SUÆ. REI. ITA. JUS. ESTO. *Sigon. de antiquo jure Civium Rom. cap. XII.* Quæ Legis verba, si veluti jacent accipiantur, Pauli effatum plane confirmare videntur. Quod si enim *uti Pater de tutela filii legassit, ita jus est*; ergo si certum Tutelæ tempus determinaverit Pater, filium eousque sub Tutoribus esse oportebit.

Verum in alia omnia eunt Legis interpretatio,

tio, usus & dispositio juris, quippe quæ Patri quidem permittunt, ut filiis, tam posthumis, quam jam natis, quos in potestate habet, vel habiturus esset, si vivo parente nascerentur, Testamento, sive Codicillis testamento confirmatis, Tutorem dare possit, qui inde *Testamentarius* audit, eoque in Jure Romano gaudet Privilegio, ut omnes alios præcedat, etiam *legitimos*, Tutores, nec Magistratus confirmatione opus habeat, modo rite datus fuerit: Quid quod reverentiæ & affectui eorum, qui impuberibus, etiam non legitime, tutores dederunt, id tributum est, ut, quod deficit, a Magistratu suppleatur, datique confirmentur: Atque hoc illud ipsum jus est, quod XII. Tabulæ Patribusfamilias adscribunt, quodque Leges omnes factum tectum ipsis conservare voluerunt. Tempus autem præfinire, quam diu hæres sub Tutoribus esse debeat, Parentibus fas non est, cum Lex hac de re jam providerit, annosque *pubertatis*, quibus *tutela finitur*, *jure determinatos* habeamus.

Cæterum *Wissemb. ad Inst. Disp. VII. th. 39.* & *Strykius* in allegata Exercitatione, de *Jurisprudencia Pauli*, verba Apostoli defendere al- laborant, ex verbis §. 3. *Inst. qui testam. tutores dari possunt: Ad certum tempus, vel ex certo tempore, vel sub conditione &c. posse dari tutorem non dubitatur*, quibus jungi potest §. 5. *Inst. quib. mod. tutela solvitur.* Verum enim ve-

ro neque hoc modo res satis extricata est. Legum enim modo relatarum dictamen hoc vult: „Non tantum pure, sed ex die etiam & „sub conditione, tutorem recte a Patre dari, „cum hoc effectu, ut, qui datus sit, non ante „sit Tutor, quam dies, aut conditio extiterit, „deficiente vero conditione, Tutor non sit. „Possit etiam ad certam diem & usque ad cer- „tam conditionem Patrem filio Tutorem da- „re, sic, ut finito tempore, vel conditione „existente, Tutor esse desinat. Quicumque autem verba Paulina recta lance ponderat, facile perspiciet, longe diversam ab istis esse mentem sacri scriptoris hoc dicentis: „He- „res infans, quam diu sub ἐπιτροπῆς καὶ δίκονό- „μοις est, quasi servitute tenetur: Sed cum „ἢ ὡς ἐπὶ νόθεσσι τῶν πατρῶν advenerit, tunc „demum, aliena potestate solutus, plena li- „bertate fruitur, inque suam, quod dicunt, „tutelam pervenit.

Sed quam hæc iterum Legibus sunt adver- sa? quæ Tutores ad tempus a Patre datos qui- dem non respuunt, eosque, tempore præsti- tuto adveniente, a Tutela absolvunt; Pupil- lum vero propterea non liberant, nec inde- fensum relinquunt; sed, finita tutela testamen- taria, Tutorem legitimum, vel dativum, a Patre constituti locum occupare jubent, usque dum Pupillus annos pubertatis, lege præscriptos, plene consecutus fuerit. l. ii. ff. de testamen- taria tutela.

Sed ne adeo αὐτονόμος Divus Paulus appareat, legesque, quas allegat, vel non intellexisse, vel temere & sine delectu applicasse videatur, a communi opinione mihi recedendum, atque in textu, quem nunc examinamus, neque de *Pupillo*, neque de *Tutoribus*, sermonem ullum esse, ostendendum existimo.

Certe interpretes doctissimos, ipsum etiam Lutherum, fefellere ista ἡ κληρονομία καὶ τῶν ἐπιτρόπων nomina. *Heres* enim & *Defunctus* de genere relatorum habentur, cum viventis nulla sit hereditas, nulla successio. Unde illæ juris regulæ: *Heredem ejusdem potestatis jurisque esse constat, cujus fuit Defunctus. Hereditas nihil aliud est quam successio in universum jus quod Defunctus habuit.* l. 59. & 62. de Reg. Jur. Quæ cum ita sint, facile quis inducitur, ut credat, κληρονόμον νήπιον, καὶ ὄρφανον, *Heredem infantem, & pupillum*, esse synonyma. Deinde ἐπιτρόπον significare *Tutorem* nemo negaverit, id quod non exiguum adjumentum est, pro confirmanda illa de *Heredis infantis & Pupilli* synonymia, opinione. Ubi enim *Tutor*, ibi quoque *Pupillus* necessario intelligitur.

Attamen istæ rationes tanti non sunt, ut malimus Divi Pauli Jurisprudentiam, quam eas, in dubium vocare. Nam, quod primum est, *Heres non semper præsupponit Defunctum*, præsertim cum de *Filio*, sicuti in nostro textu, prædicatur. Nimirum *Filiifamilias*, quod Jctis notissimum, forensi vocabulo, *sui heredes Pa-*  
tri

tri dicuntur, non tantum defuncto, verum καὶ πρὸς ζῆν, etiam viventi: Ita Quintus Mutius Scævola, Libro singulari ἐρωτῶν, Nemo potest tutorem dare, inquit, cuiquam, nisi ei, quem in suis Heredibus, cum moritur, habuit, habiturusve esset, si vixisset l. 73. de Reg. Jur. Sui Heredes ideo appellantur, quia domestici heredes sunt, & vivo quoque Patre quodammodo Domini existimantur, inquit Justinianus, §. 2. Inst. de hered. qual. & differentia. Atque hæc causa est, quod filii familias in Testamento Patris non possunt præteriri; sed necessario vel institui debent, vel exheredari. Inde etiam hereditatem extranei acquirere, filii retinere, illi adire, hi se immiscere, illi repudiare, hi abstinere in Jure dicuntur, quasi qui rebus jam olim suis, ut Domini, utantur easque retineant, aut derelinquant. In suis enim heredibus, inquit Paulus, l. 11. ff. de liber. & posthum. heredib. instit. evidentius apparet, continuationem Domini eorum perducere, ut nulla videatur hereditas fuisse: **QUASI OLIM HI DOMINI ESSENT QUI ETIAM VIVO PATRE QUODAMMODO DOMINI EXISTIMANTUR;** Unde etiam Filius-familias appellatur, sicut Paterfamilias: sola nota hac adjecta, per quam distinguitur genitor, ab eo qui genitus sit. Itaque post mortem Patris, non hereditatem percipere videntur, sed magis liberam bonorum administrationem consequuntur, hac ex causa, licet non sint heredes instituti, **DOMINI SUNT.**

Ecce

Ecce jam! quam accurate jus applicet, quam amice concinat *Paulus Apostolus Paulo Jure-Consulto*: dummodo per κληρονόμον νήπιον intelligamus *Filiumfamilias nondum ex ephebis egressum*. Hunc enim vocabulo *Jctorum* proprio appellat κληρονόμον, i. e. *heredem suum*, quem αὐλοκληρονόμον dicere Græci Legum interpretes interdum solent: Hunc *Dominum omnium bonorum*, licet vivo adhuc Patre, jure favente salutatur: Hunc *heredem necessarium* esse optime novit, non tantum quia omnino, sive vellet, sive nollet, tam ab intestato, quam ex Testamento, juxta Legem XII. Tabularum, heres fiebat. §. 2. *Inst. de hered. qual. & differ.* Sed quia nec hodie præteriri potest, & nisi ex causa legitima exheredetur, necessario debet institui. Deducit namque ex hac juris dispositione legale argumentum pro cælesti hereditate fidelium, Rom. VIII. 17. εἰ δὲ τέκνα, καὶ κληρονόμοι. *Si Filii ergo & Heredes*, Quod idem urget in hoc nostro capite, versu 7: εἰ δὲ υἱὸς καὶ κληρονόμος θεῶν. Neque aliam interpretationem patitur simile, quo S. Paulus hic utitur, *Heredibus comparans fideles*, qui non sunt *Orphani*, sed *Patrem habent viventem*, Deum scilicet *immortalem*, qui tam sancte suis pollicitus est: *Non relinquam vos Orphanos*. Interea *filius-familias κύριος πάντων ὄν.* Ob Er wol ein Herr ist aller Güter / veteri Jure, parum aut nihil differebat a Servo. Ex lege enim Romuli, erat in patris sui manu, potestate, man-

mancipioque habebat Pater jus in eum vitæ & necis, terque venundandi potestatem. Præterea, quemadmodum servus Domino, ita filius omnia acquirebat Patri, nec se ulli, nec sibi quenquam obligare poterat, imo *velle non creditur, qui obsequitur imperio Patris, vel Domini* l. 4. ff. de Reg. Juris. Quid ergo juri magis congruum asserere potuit Apostolus? quam filium familias *ἑδὲν διαφέρειν δέλε.*

Ut autem verum fatear, non videtur S. Paulus adeo respicere ad istum juris antiqui rigorem, qui postea variis modis diminutus & correctus, suo tempore jam pœne exoleverat; quam adstrictam, & servilem quasi, puerilis ætatis apud Veteres, præsertim Romanos, vivendi conditionem. Propterea non simpliciter dicit: *Heres (seu filiusfamilias) nihil differt a Servo: sed, quamdiu heres infans est, nihil differt a Servo*, additque rationem: quod sit *ὑπο ἐπιτρόπης καὶ οἰκονόμου.*

Atque nunc, postquam *πρώτον ψεύδος* removimus, alterum aggrediamur, & quid *Ἐπίτροπος* in hoc loco Paulino significet, paucis disquiramus.

Certo quidem certius est, hanc vocem vulgo denotare illum, cui Parentes morituri liberorum suorum curam commendant, aut qui ejusmodi curam suscipit, sive sponte, sive rogatus, sive jussus, verbo: *Tutorem*. Enim vero intra limites unicæ hujus significationis hæc vox non clauditur, sed multo longius

exspatiatur. Nam frequentissime *Villicum* designat, uti videre licet apud Xenophontem *Memorabilem lib. V.* nec non *Matth. XX. 8.* Unde Latinis etiam græcissantibus *Villicus* est *Epitropos*, seu ex *Aulonio* probat *Laurent. Pignorius*, in *Commentario de Servis. p. 540.* Non raro quoque *Ἐπιτροπος*, idem est, quod *Præfectus domus & familie.* Sic *Lucas c. VIII. v. 3.* mentionem facit *Chusæ τῆ ἐπιτρόπῃ Ἡρώδῃ*, atque *Josephum Gen. XXXIX. 4.* nec non *Josephi Governatorem Domus, Gen. XLIII. 16.* vetus interpret *Chaldæus Jonathan*, vel quisquis est illius *Targum* autor, *אפיטרופוס* salutatur. Denominat quoque hæc vox *Rectorem Provinciae*, apud *Herodianum L. VII.* ubi *ὁ κατὰ τὴν λυβίαν ἐπιτροπος* legitur. Et ut summam dicam, uti hoc vocabulum à verbo *ἐπιτρέπειν* committere, *curæ alicujus tradere*, descendit: ita in generali sensu, denotat quemcunque, cui *cura alicujus rei, vel personæ, commissæ est, Curatorem, procuratorem, inspectorem, administratorem, delegatum*, sive ut loquuntur hodie, *Commissarium*: quod infinitis exemplis probari posset, si soli facem adhibere operæ pretium ducerem. Quid quod *Thalmudici* quoque scriptores & reliqui *Rabbini* vocabula *אפטרופא appotrappa*, *אפטרופוס appotrophos*, vel integrius *אפיטרופוס appitrophos*, de præfectis, aut quibuscunque aliquid committitur, sæpissime usurpant, eodem plane sensu, quo *Hebræi* suum *תקיר*, quod generale est vocabulum,

lum, notans *præfectum, vel inspectorem qualem-*  
*cunque.*

Sed ne de vocabuli hujus sensu peculiari in  
textu nostro nimium solliciti simus, ipse A-  
postolus cavet, caput nostrum sic ordiens :  
*λέγω δὲ, inquam autem: Sed quid inquit? Scili-*  
*cet in paulo præcedentibus, ad quæ lectorem,*  
*per hoc λέγω δὲ, remittit, hæc dixerat: Lex*  
*nobis Pædagogus est ad Christum. Fide autem ve-*  
*niente, non amplius sumus sub Pædagogo; postea*  
*nonnullis, de generalitate privilegii Christia-*  
*norum, quo omnes, sine ullo discrimine, sive*  
*gentis, sive status, sive sexus, per fidem Filii Dei*  
*sunt, interjectis, tandem allegoriam, vel si-*  
*mile, de infante Pædagogi ferulæ ad certum*  
*tempus subiecto, profecuturus, unde regres-*  
*sus erat revertitur, λέγω δὲ, inquiens, ἐφ' ὅσον*  
*χρόνον ὁ κληρονόμος νήπιός ἐστιν, ὑπὸ ἐπιτρόπῃς ἐστίν,*  
*&c. Ex quibus, & supra deductis, firmissime*  
*concludo, Paulo Epitropon nihil aliud, hoc*  
*loco, esse, quam illum, cujus curæ, vivo Pa-*  
*rente, filius committitur, i. e. Pædagogum,*  
*seu uti Latine dicitur, Custodem, qui si rite offi-*  
*cio fungitur, Patre licet vivente datus, Tuto-*  
*ris nomen optime meretur, sicut adhuc ho-*  
*die Anglis a Tutor est a private Master, a Præ-*  
*ceptor, or Gouvernor; Tutor autem proprie sic*  
*dictus a Guardian, eis communiter vocatur.*

Ut ad propositum vero redeamus, optime  
Paulus dicit : *quam diu filiusfamilias infans est,*  
*nihil differt a Servo: Sed (quod multo pejus)*

est sub Paedagogis. Hi enim ipsi Servi (a) erant, & non raro pessimi omnium; quae de re con- queritur Plutarchus, in aureo libello, περὶ τῶν παιδῶν ἀγογῆς, c. 8. Servorum bonorum, inquit, hos quidem agricolas designant, hos vero nautas, hos mercatores, illos oeconomicos, alios foeneratores: quod si vero invenerunt mancipium vinosum & gu- losum, ad omnem operationem inutile, huic subji- ciunt filios. Ejusmodi tamen homines pueris ingenuis imperabant, (b) eosque, licet ipsi

(a) Ita Claudium Imperatorem, diu, atque etiam post tutelam susceptam alieni arbitrii, & sub Paedagogo fuisse, quem barbarum & olim superjumentarium, ex industria sibi appositum, ut se quibuscunque de causis quam saepissime coerceret, ipsum quodam libello con- questum testatur in ejus vitae Cap. II. Suetonius. Ex quo loco discis, Paedagogos etiam nobilioris fa- miliae adolescentum & fordidi generis & duri oris homines fuisse, & quae illorum in hos qui tum non sui, sed alieni arbitrii erant, fuerit potestas. Vides quoque illos, qui tutoribus subjecti esse de- fierunt, hoc enim phrasis illa indicat, post tutelam susceptam, non tamen factos sui juris, sed paedago- gorum potestati permittos. Quae Paulino loco non parum adspargunt lucis. Clemens Alex. paedag. L. I. c. 7. p. m. 109. Alcibiadis Paedagogum Ζοπύ- ρου ἀνητον ἀνδραποδον mancipium emptitium & Themistoclis liberorum paedagogum Sicinnium ἐικετον παῖδμον ignavum famulum appellat. Vale- rius Maximus L. VI. c. I. Paedagogum Fannium Sa- turninum vocat sceleratum Servum. T. d. H.

(b) Discimus haec ex verbis Quintiliani L. I. Inst. Orat. cap. I. ubi paedagogos velut jure quodam potestatis, quo illud hominum genus intumescit, imperiosos, atque

maſtigiae eſſent, nonnunquam peſſime habebant, id quod oſtendit Lydus Paedagogus, apud Plautum in Bacchid. A. III. S. III. Philoxeno, filii amorem excuſanti, reſpondens :

*At tu, qui tam pro corrupto cauſam dicis filio,  
Eademne haec erat diſciplina tibi, cum adoleſcens  
eras ?*

*Nego tibi hoc annis viginti fuiſſe primis copia,  
Digitum longe a Paedagogo pedem ut efferres &  
dibus.*

*Ante ſolem orientem, niſi in paleſtra veneras,  
Gymnaſii praefecto haud mediocres poenas pen-  
deres.*

*Inde ab hippodromo & paleſtra ubi reueniſſes  
domum,*

*Cinctulo praecinctus in ſella apud magiſtrum aſſi-  
deres :*

*Cum librum legeres, ſi unam peccaviſſes ſyllabam,  
Fieret corium tam maculoſum, quam eſt nutricis  
pallium.*

D 3

Epi-

*interim ſaevientes ſultitiam ſuam perdocere ſcribit.  
Hinc alumni paedagogos ſuos vocabant Dominos.  
Patet id ex Manilio L. V. vſ. 449.*

*Componet teneros etiam, qui nutriet annos*

*Et DOMINUM Dominus praetextae lege ſe-  
quatur.*

& Statio Sylv. L. II. c. I. ubi Meliorem, paedagogum Glauciae pueri, ſaepius nominari legimus vſ. 51, 70, 75, 80, 121. ejus herum & Dominum. Ita, ut paedagogos potuiſſes vocare *Dominorum Dominos*, ita, qui illorum traditi erant diſciplinae, *Servorum Servos*. T. d. H.

Epitropis autem seu Pædagogis aliud servorum genus adjungit Apostolus, quibus subiecti erant adolescentes, nempe *Oeconomus*.

Olim quidem, quando communis opinionis torrente abreptus, Epitropos hoc loco *Tutores* significare ipse arbitrabar, Paulum, per *Oeconomus*, *Curatores* intelligere putabam, qui apud Romanos orphanis, pubertate majoribus, interdum dabantur; quorum officium cum Græcis, apud quos, ut supra monui, ad annum usque vicesimum pupillorum tutela durabat, adeo inusitatum esset, ut nec nomen domesticum quod Curatorem indicaret, haberent, (unde Theophilus Institutionum interpretis lib. I. tit. 23. latinam vocem retinuit, eumque inscripsit: *περὶ κηδελεύσεων*) Paulum, ne minus græcè loqueretur, satis ingeniose Curatorem *τῆ δικονομίᾳ* vocabulo designasse, existimabam. Cum enim Jure Romano Tutor *personæ* pupilli, Curator vero *bonis* ejusdem daretur, plane convenienter Curatoris officium per *Oeconomi* denominationem exprimi videbatur.

Postquam vero, argumentis hæcenus expositis permotus, mentem mutavi, Apostolum *Oeconomorum* vocabulo in sensu proprio, quo id Servorum genus, qui Latinis *Dispensatores*, *Actores*, *Arcuarii*, vocantur, indicat, usum esse perspicio. Hi enim, sicut integræ rei familiari, ita quoque liberorum infantium, non quidem educationi, sed sustentatio-

tationi, prospiciebant, ipsisque Cibaria, Vestiaria, Libros, chartam & reliqua, nec minus Salaria Præceptoribus eorum, dispensabant. Qua in re nonnunquam fraudulentius Oeconomos nequam egisse, & ad miseros Magistros decipiendos, abradendumque aliquid & diminuendum ex eorum mercedula, satis amice cum Pædagogis conservis suis, conspirasse patet ex Juvenalis Satyra VII. circa finem:

*Quis gremio Enceladis doctique Palemonis adfert,  
Quantum Grammaticus meruit labor? Et tamen  
ex hoc,*

*Quodcumque est (minus est autem quam rethoris  
era)*

*DISCIPULI CUSTOS præmordet Accentus ipse,*

*Et QUI DISPENSAT frangit sibi. -*

Ubi maxime notatu dignum, quod apud Juvenalem Custos & Dispensator, sicut apud Paulum οἱ ἐπιτροποι καὶ οἰκονόμοι, pari passu ambulabant.

Sub hisce directoribus filiusfamilias erat usque ad tempus προέσμιον a Patre, hoc est, donec Patri placeret, eum liberalius habere; sibi que ipsi relinquere; id quod olim, cum rigidior disciplina obtinebat, tardius, postea dissolutioni seculo nimis mature sæpe accidit. Qua de re conqueritur idem Lydus l. c.

*Olim populi prius honorem capiebat suffragio,  
Quam magistro definebat esse dicto obediens.*

*At nunc, priusquam septennis est, si attingas eum  
manu,*

*Extemplo puer Pædagogo tabula dirampit caput.  
Cum Patrem adeas postulatum, pæro sic dicit  
pater:*

*Noster esto, dum te poteris defensare injuriâ.*

*Provocatur pædagogus: eho Senex minimi precii!*

*Ne attingas puerum, &c.*

Cum quibus convenit tritum illud Horatii, in  
arte Poetica:

*IMBERBIS juvenis, tandem CUSTODE  
RE MOTO,*

*Gaudet equis canibusque.*

Hæc sicuti explicationi loci nostri sufficere,  
ita intentioni Sacri Epistolographi admodum  
accommoda videntur, quippe qui in hoc &  
præcedenti capite, imo in integra epistola,  
omnem movet lapidem ut hoc unum inculcet  
Galatis: „Fidelibus, Dei filiis & heredibus  
„æternæ salutis, sub Veteri Testamento, quasi  
„in pueritia & prima juventute constitutis, a  
„Lege, tanquam Pædagogo, ne latum unguem  
„recedere licuisse. Postquam autem divini  
„Parentis gratia, tempore præfinito, scilicet  
„Novi Instrumenti, fides advenit, eosdem, a ser-  
„vili isthac conditione, in suam quasi tutelam  
„pervenisse; Illam igitur Libertatem, quæ,  
„juxta vulgatum Jctorum elogium, *inestimabi-*  
„*lis res est*, acriter esse tuendam, mordicus reti-  
„nendam.

*Vive, vale! si quid novisti rectius istis,  
Candidus imperti, si non, his utere mecum.*

JO. GEORG. SCHEL-  
HORNII  
Observatio

de 'Ευτραπείας ad Eph. V. 4.

Σύνοψις.

- §. 1. Illustratur phrasis Paulina: μηδὲ ὀνομαζέσθω ἐν ὑμῖν ex Scholiaste Sophoclis, Heliodoro, Theocrito, Cicerone. §. 2. Ephesii facetiarum amantes. §. 3. 'Ευτραπεία etiam exteris quandoque pro scurrilitate accipitur, v. g. Isocrati, Æliano. Athenienses φιλοσκώμμοι. §. 4. 'Ευτραπείας nomine veteres sæpe scurrilem mordacitatem velare soliti. §. 5. Latinis quoque urbanitas interdum cavillatio, maledictio: Urbanus scurra. §. 6. Scurra olim bono sensu de vocibus εἰρων ἢ εἰρωνεία. §. 7. Apud quosdam tota impudicitia vocata urbanitas & comitas.

§. 1.

**E**υτραπείαν iis accenset vitiis Paulus, quæ nominari inter Sanctos haud conveniat. μηδὲ ὀνομαζέσθω ἐν ὑμῖν. Quæ maxime detestabantur Græci, ἀρρήτα vocare consueverunt. Scholiastes antiquus Sophoclis in Elect. ad verba: ὃ δείπνων ἀρρήτων hæc annotat: ἰὼν ὑπὸ 'Αιγίθου φησὶ ἰὼν Ἀγαμέμνονι παρεσκευασθέντων ἐπ' ὀλέθρου, αἱ εἰδὲ ὄνδ-

ὀνομάσαι καλόν. (a) Hoc mihi voluisse videtur Apostolus, ut inter sanctos ne vola quidem & vestigium extet fornicationis, avaritiæ &c. Sic Heliodorus Æthiop. L. II. C. XVII. de insula omnibus rebus, ad victum necessariis, spoliata: σίτη δὲ καὶ ἐπιτηδείων ἄλλων, ἔδδ' ὄνομα περιλέλειπται. *Frumenti vero & aliorum necessariorum ne nomen quidem relictum est.* Ita & Theocritus Ἐιδυλλ. 15. V. 97.

βοᾶς δ' ἐπ' μηδ' ὄνομα εἶη.

clamoris (bellici) amplius ne nomen quidem exaudiatur. Cicero Paradox. 4. Num igitur erat illatum civitas, cum leges in ea nihil valebant - - cum, ferro pulsus magistratibus, **SENATUS NOMEN IN REPUBLICA NON ERAT?** Pariter Apostolus omnem impuritatem apud suos funditus extirpatam, eque medio prorsus sublatam vult: nominari autem ea vitia non vetat, utpote quod in convertendis gentibus, quibus istiusmodi peccatorum turpitudine & ἀλογία ob oculos vivide sistenda fuit, necessarium erat. *Latrocinari enim, ut ait Cicero L. I. de Offic. fraudare, adulterari, ne turpe est, sed dicitur non obscæne.*

§. 2. Paulo heic potissimum res fuit cum Ephesiis, facetiarum amantibus. Periplectomenes Plautinus in Milite Glor. Act. III. Sc. I. **VEL CAVILLATOR FACETUS, vel conviva commodus**

Item ero

M

(a) p. 45. edit. Francof. 1555. in 4.

Minime sputator, screator sum, ibidem minime muc-  
cidus.

Post EPHESI SUM NATUS, non in Apulis,  
non sum in Umbria.

Ubi Janus Doufa (b): Quod Ephesi se natum  
gloriat, credo ideo esse, quod civitas ea elegantis  
facietis que cum primis dedita: contra morem Umbro-  
rum & Appulorum, qui rustici, illepidi, subiti-  
que atque inficeti habebantur. Si verum dixit  
Strabo L. XIV. referens, Ephesios Hermodo-  
rum Virum frugi ejecisse, addito: ἡμέων μηδεὶς  
ὄνησις ἔστω, nemo nostrum frugi esto: aut ali-  
bi id esto, & inter alios: nulli potest esse du-  
bium, Ephesios, scelerum plenos, etiam facietis tur-  
piter fuisse abusos.

§. 3. Græcæ linguæ studiosos haud fugit.  
Ἐυλαπείαν alias apud externos designare vir-  
tutem, quæ Latinis urbanitas vel comitas au-  
dit: istam vero a prudentissimo Apostolo in-  
ter τὰ ἐκ ἀνήκοντα referri, a vero quam lon-  
gissime abesse quivis agnoscit. Notandum  
igitur, priscis quoque Ἐυλαπείαν in malo in-  
terdum sensu pro scurrilitate usurpari, inque  
vitii loco haberi. Ad Pindari Pyth. a. e. 10.  
& δ. e. 8. Aristotelisque Lib. IV. Ethic. jam  
non provoco, cum hoc ab aliis dudum fuerit  
factum: sed in eorum vicem substituo Iso-  
cratem in Areopag. p. 290. cujus verba id,  
quod asserui, insigniter comprobant. Ita au-  
tem

(b) in Centurionatu &c. Plantin. Explanat. L. III. C.  
XI. p. 352. edit. Lugdun. 1587.

tem ille: Σεμνύνεσθαι ἐμελέτων, καὶ ἔβωμολο-  
 χέυεσθαι. καὶ τὰς εὐτραπέλους δὲ καὶ σκώπτειν δυνα-  
 μένας, ἔς νῦν εὐφριῆς προσσηγορέουσιν, ἐκεῖνοι δυσ-  
 χεῖς ἐνόμιζον. interprete Hier. Wolfio: Gra-  
 vitati non scurrilitati studebant (veteres): Ἔβο-  
 mines dicaces ἔ ad irridendum paratos, quos nunc  
 facetos vocant, illi calamitosos judicabant. Vi-  
 des, hic Isocrati εὐτραπέλους cum βωμολοχοῖς καὶ  
 σκώπτειν δυναμένοις pari ambulare passu, & ab  
 antiquis etiam Græcis pro calamitosis fuisse  
 habitos. Sic Ælianus Var. Hist. L. V. C. XIII.  
 Athenienses εὐτραπέλους appellat, non ut eos  
 hoc nomine laudet, sed potius, quod ex in-  
 tegra orationis serie apparet, reprehendat.  
 Ἦσαν δὲ ἄρα Ἀθηναῖοι δεινῶς εἰς τὰς πολιτείας εὐ-  
 τραπέλοι, καὶ ἐπιτίθειοι πρὸς τὰς μεταβολὰς παν-  
 τὸς μάλλον, quæ ejus interpretes Vultejus sic red-  
 didit: Athenienses omnino ad commutandos Reip.  
 status erant versatiles, ἔ omnium propensissimi ad  
 vicissitudines. Sed nihil causæ esse video, cur  
 εὐτραπέλους heic loci non eo reddere liceat sen-  
 su, quo alias venit hæc vocula: sic igitur ver-  
 tenda esse Æliani verba priora censeo: Athe-  
 nienses omnino erant in Magistratus, sive in regi-  
 minis sui formas dicaces, nunquam non cavillaban-  
 tur εἰς τὰς πολιτείας. De Atheniensibus nescio  
 quis refert, quod fuerint σκωπτοῖοι καὶ κακῆγοροι,  
 unde dictum: κακῶς λέγειν, μέλι ἐστὶ τὸ Ἀττικόν.  
 Alia voce eos commode φιλοσκώμμονας dixe-  
 ris, quales Alexandrinos quoque fuisse Hero-  
 dianus testatur (c). In Luciano de Gymna-  
 siis

(c) Hist. Lib. IV. Cap. IX. v. 4.

fis ad Solonem Anacharſis ait: τὸ ἐκεῖνο ἦν ἄρα, ὃ ἐγὼ περὶ ὑμῶν ἤκουον τῶν Ἀθηναίων, ὡς εἶητε εἰρωνεῖς ἐν τοῖς λόγοις. *Hoc equidem erat, quod ego de vobis Atheniensibus inaudieram, quod in omnibus fere sermonibus nasuti essetis illusores.*

§. 4. Volumnius, qui Ciceroni (d) Eutrapelus, Plutarcho (e) μῆμος audit. Qui alios convitiis proſcindebant, εὐτραπείας nomine Theoninum tegere dentem, scurrilemque sæpius mordacitatem velare annisi sunt. Julianus (f): ἡμεῖς δὲ αὐτὸ διὰ τῆς ἡμῶν αὐτῶν εὐτραπείας ἐξεργασάμεθα, βαίβλοντες σε τοῖς σκώμμασιν, ὡς περ τοξέυμασι. *Nos autem id quod volebamus, facetiis nostris consecuti sumus, cum te convitiis quasi telis configeremus.* Laudatur a nonnullis in Cicerone εὐτραπείας studium, ad quod a natura quasi videbatur esse compositus. δοκεῖ δὲ καὶ μέλωτος οἰκείος ὁ Κικέρων γεγονέναι, καὶ φιλοσκώπτῃς τὸ τε πρὸς ὅσων αὐτὸ μείδιμα καὶ γαλήνην παρέειχεν. Videtur autem, inquit Plutarchus (g), natura Cicero falsus & facetus fuisse. Vultus ejus quoque visum & hilaritatem præ se ferebat. Fuerunt etiam ex veteribus, qui ejus jocos & acute facetique dicta studiose collegerunt. Sed quis nescit, quam acriter haud paucos illius dens momorderit? Κικέρων πολλὰ καὶ τῷ σκωπτικῷ πρὸς τὸ βωμολόχον

εἶπε

(d) Epist. Famil. 26. L. IX.

(e) in Bruto p. 1005. edit. Francof. 1620.

(f) in Misopog. f. 344. edit. Spanhem.

(g) in Cicer. f. 886.

ἐκφερόμενος, ἢ πρᾶγματα σπερδῆς ἄξια γάλλωι ἢ παιδῶν κατεργασμένος ἐν ταῖς δίκαις εἰς τὸ χρεῖωδες, ἢ φείδει τῶ πρέποντος. Cicero, ut iterum Plutarchus (h), *dicacitate subinde ad scurrilitatem devolutus*, & *negotiis perquam seriis risu jocoque in judiciis illudens, ut causa prodesset, neglexit decorum.* Hinc optime Joach. Camerarius (i): Est hujus virtutis (εὐτραπείας scil.) locus lubricus. Non enim facilis res est, cum homo non ad jocum & lusum factus sit, in lusu & joco decorum servare, & laudem invenire. Itaque ii, qui pro summis viris & ingenio præstantibus, & sapientia excellentibus, & doctrina percultis habiti fuere, cum jocorum etiam artem profiterentur, in hoc genere interdum lapsi sunt, & meritam reprehensionem non vitarunt: ut Cicero & Demosthenes.

§. 5. Heic etiam meminisse juvabit, & Latinis *urbanitatis* nomine denotari quandoque cavillationem, irrisionem. Cicero in Orat. pro M. Coelio: *Maledictio si petulantius jactatur, convitium: si facetius, URBANITAS nominatur.* Atque adeo Urbanus eis nonnunquam accipitur pro scurra, quod præter alios observavit Frid. Rappoltus (k) inter cætera scribens: *idem postea huic voci accidit, quod Tyranni*

(h) l. c.

(i) in Explicatione Ethicorum Aristot. p. 187. add. p. 474. cf. etiam Photium in Epist. I. f. 40. edit. Londin. Montacutii.

(k) Commentar. in Horatium p. 742.

¶ *Sophistæ*, factumque adeo, ut illa insignirentur, qui alienas epulas adipiscendi gratia, jocularia & scurrilia funderent. Perelegans est locus Senecæ (1): Eadem causa est, cur nos mancipiorum nostrorum *URBANITAS*, in dominos contumeliosa, delectet: quorum audacia ita demum sibi in convivas jus facit, si cœpit a domino. Ut quisque contemtissimus, & ut maxime ludibrio est, ita solutissimæ linguæ est. Pueros quidem in hoc mercantur procaces, & eorum impudentiam acuunt, & sub magistro habent, qui probra meditare offendant: nec has contumelias vocamus, sed argutias. Varia sunt, quæ hisce verbis a Seneca, cujus ætas in Pauli tempora incidit, edocemur. Primo, scurrilem dicacitatem & contumelias urbanitatis atque argutiarum nomine venisse. Dein turpiter jocandi & convitiandi libidinem eo tum processisse apud Romanos, ut servos, lingua salibusque protervos, dicteriis ac fanis studiose assueferi curaverint. Porro, ipsos dominos servorum sustinuisse convitia, ea fini, ut sic impune etiam ludibriis suis alias proscindere ipsis liceret. Quid quod & Lipsius h. l. annotat, Romanos sæpe convivas tenuiores sportulæ largitione quasi emisse, ut ii rhonchos illusionesque verniles ferrent.

§. 6. Nec silentio prætermittendum, *Scurræ* etiam nomen olim bonum obtinuisse sensum, quam dein ob facetiarum abusum perdidit.

Ita

(1) de Constantia Sapientis Cap. XI, f. 180, edit. Antverp. Justi Lipsii.

Ita enim Janus Doufa (m): *Scurram non pro tenebrione aliquo seu nebulone (uti nunc loquimur) vel qui catillandi atque alienas epulas odipiscendi gratia dicta tantum ridicularia ac scurrilia meditate fundere condidicisset, verum hercule pro homine venusto dicacique ac perurbano antiquitus acceptum jam pridem annotavit Turnebus, exemplis ei rei firmandæ passim ex Plauto productis.* Sic in vocibus *ἔριπτον* & *ἔριπτοειᾶ* pariter latet homonymia. Alias enim *ἔριπτοειᾶ* eum vocare Græcos II. Casaubonus docet, qui ita sit factus, ut de se semper intra modum loquens, potius sibi ea bona demat, quibus est præditus, quam alieni quicquam tribuat: alias vero non cum laude hanc vocem dici, sed summo potius cum probro; de eo enim usurpari, qui simulare & dissimulare quidvis didicit, non per jocum, nec modestia ulla, sed sui commodi causa, & ut alteri incommodet: quam ultimi generis *ἔριπτοειᾶν* Theophrastus (n) exagitat. Scilicet multoties abusus rerum vocabulis bonæ alias notæ odiosam significationem indidit.

§. 7. Absint igitur, monente Paulo, quam longissime a Christianorum moribus joci petulantes, maledici, obscœni. Insulsa meo iudicio

(m) Plautin. explanat. L. II. C. XIII. p. 242.

(n) Charact. Eth. C. II. cf. Casauboni notar. p. 101. sq.

dicio vox est Philippi Beroaldi (o), cum, tandem, ait, fateamur, licere poemata lascivientia scribi & scripta lectitari citra omnem criminationem. Sed nolo jam hæc ulcera tangere. Potius uno duntaxat verbo indicare adhuc placet, juxta Viros acutissimos Clericum atque Hammondum Paulum heic loci præcipue obscænos impurosque sermones perstringere. Non abnuo. Quin ipsa impudicitia & summa lascivia urbanitatis & comitatis nomen olim induit. Minutius Felix in Octavio: *Ista enim impudicitie eorum forsitan sacra sint, apud quos sexus omnis membris omnibus prostat, apud quos tota impudicitia vocatur Urbanitas.* Curtius (p) de Babyloniis. *Feminarum, convivium ineuntium, in principio modestus est habitus: dein summa quæque amicula exuunt, paulatimque pudorem profanant: ad ultimum (hænos auribus sit) ima corporum velamenta projiciunt. Nec meretricum hoc dedecus est, sed matronarum virginumque, apud quas COMITAS HABETUR VULGATI CORPORIS VILITAS.*

(o) Oratione habita in principio enarrationis Propertii, p. 5. quæ inserta est ejus opusculis, junctim Basileæ 1509. in 4. editis.

(p) Lib. V. Cap. l. v. 38.

*Bernh. Petri KARLII*  
**Disseratio de COLOSSO,**  
 Danielis Cap. II. *quatuor Monar-*  
*chiarum* præfago ; Contra paradoxam  
 nonneminis de quatuor regnis seu regi-  
 bus tantum Babylonicis, quasi per  
 illum præfiguratis, sen-  
 tentiam.

**D**ivinum illud Regis Nebuchodonoso-  
 ris somnium, longe memorabilissi-  
 mum a Sancto Vate, Daniele, ex Spi-  
 ritus S. etiam revelatione enarra-  
 tum, divinoque commentario illustratum, etsi  
 in se sic satis clarum, (nobis certe, qui postre-  
 ma hæc mundi tempora, quibus & ipse rerum  
 eventus illud luculentissimè declaravit, vivi-  
 mus, longe clarissimum, esse debebat,) nimis  
 adhuc videri obscurum, diversisque rursus  
 diversorum commentariis tam diverse expli-  
 cari, mirandum utique videtur miraculum.  
 Omnium vero expositionum istarum ut inge-  
 niosissima, ita & alienissima forte, est illa, quam  
 de hoc somnio, ad unum *Babyloniorum impe-*  
*rium* relato, Vir Cl. H. non ita pridem, si non  
 primus excogitavit, saltem post Bodinum (ad  
 solius etiam *Babylonis fata* illud referentem)

exornavit, atque Gallica primum, deinde & latina per scriptam lingua luci exposuit. Cui tamen quantopere ipse divinus somnii istius interpres, *Daniel*, repugnet, in præsentia demonstrare, communemque cum veterum tum novorum interpretum sententiam, de *quatuor primariis Orbis terrarum imperiis*, *Chaldeo-Babylonico*, puta, *Medo-Persico*, *Græco & Romano-Germanico*, tanquam isto somnio præsignatis, vindicare, operæ erit precium. Non equidem is sum, qui negare præsumat, vel olim in Asia jam ante Alexandrum M. plura regna floruisse amplissima, non autem *duo tantum*, (*Babylonicum & Persicum*,) ut vulgo creditur: vel eandem etiam Asiam post Romani Imperii in Occidente ruinas, habuisse, & adhuc habere, vastissima regna; vel Europam nostram Regnum Francorum maximum jam ante adsumtum *Cæsareum* nomen vidisse, & nunc quoque vastam Hispanorum Gallorumque &c. potentiam vel ad invidiam florere: id quod cum *Conringio in Dissert. de Imperio Romano-Germ. C. 2.* ultro agnosco. Neque nobis quatuor illæ *Monarchiæ*, sic vulgo dictæ, vel *summa Imperia* (ut ea *Joh. Sleidanus* appellat,) regna denotant prorsus universalis, & totum terrarum orbem complexa; (quale nullum unquam extitit) sed permagna saltem, & quasi καθολικά, reliqua omnia suo tempore gloria & opibus quodammodo antecellentia, & quibus cum populo Dei tum ante tum post Christum

natum præ aliis plurimum intercessit negotii, seu quæ ad Ecclesiam omnium temporum singularem quendam habuerunt respectum. Quo sensu, peculiari plane & latiori, *quatuor grandes* statuere *Monarchias*, nihil vetat, nec ipse novus *Historiæ Monarchiarum Orbis antiqui* Autor, Cl. Abel, licet multo plures memoret, & hoc etiam loco (Dan. 2.) *Judeorum tantum statum & fortunas ad Messie usque adventum depingi videri* scribat, Lib. I. C. I. §. 4. *egre se laturum*, fatetur. ib. §. 8. Certe nec ipse Sleidanus ab hoc sensu nostro alienus est, ut qui *Nebucadnezarem demum ab Anno 24. regni sui Monarchiam Babyloniam* (quam omnium primam memorat,) *inchoasse*, dicit p. m. 24. Quod vero ad nostrum nunc interpretem attinet, principio ille quidem in eo vehementer fallitur, quod, Grotium aliosque secutus, plurima *Vatum Oracula & minas, in populi Dei hostes editas*, non nisi ~~perperam~~ quadam *Judaïssante* ad Christianorum tempora, & *Europæos Romanosque ecclesiæ hostes deflexa ac detorta*, queritur, (p. 5. sqq. & p. 41.) id quod de hoc quoque argumento postea nimis temere conjicit divinator hic magis quam interpret ille Philologus, nulli, fateor, secundus, in conjiciendo quidem satis (imo plus nimio) *promptus*, si modo in colligendo quoque sat *circumspectus*, inque ponderando *attentus*, & in judicando *cautus*: quas ipse in *Philologo* dotes requirit, (in *præfat. ad Lect.*) ego vero vel maxime etiam in *Theologo*, aut *Ora-*  
culo-

culorum divinorum interprete. Nimis certe audacter Vir. Cl. communioem illam de Nebucadnezaris somnio, Danielisque in istud Commentario, explicationem ut *Judaicam* ridet *fabulam*, in *Europaorum ignominiam* & *perniciem a Judæis*, ipsorum nunc servis, primum *casam*, qua nostri, ab ipsis fascinati, in sinu gaudeant: & perquam temere *primæ Ecclesiæ Christianos*, ut homines, propter *ignorantiam*, in *credulitatem* & *fucum* pronam, incautos, atque rerum *Judaicarum imperitos*, adeoque *facile a Judæis astutis*, ut in mille aliis, ita & in hoc argumento, *deceptos*, hic incusat: quorum *credula imperitia* *victas argutæ* illorum *persuasioni dederit manus*; qua via vel *millena*, temere *admissa*, a *Judæis* in *detrimentum Christianæ rei* & *priscae veritatis* sint *supposita*. p. 7. Sed, juvante nunc Deo, exemplum hic dabitur, quam temere ille atque temerarie plerumque communes vaticiniorum divinorum de Christo, ejusque regno & hostibus, expositiones passim sugillet, inque Christianorum Interpretum *stuporem & imperitiam*, ipsis toties *exprobratam*, *paratragœdiari* amet atque *declamare*. Rem hic utique longe se aliter habere, intelliget, qui ipsam Danielis enarrationem & Viri Cl. in eam commenta absque præjudicio mecum conferet, & accuratius in timore Dei perpendet. Et sane, ipsos Judæorum Magistros, quos *Rabbinos* vocant, illam de dictis *quatuor orbis terrarum imperiis* sententiam, prout è Daniele statuitur, jam olim impugnasse,

se, constat: & observavit id jam dudum Doctiss. Vir, HENR. MEIBOMIUS, Academiae etiam Juliae quondam Professor Clarissimus, Poëta & Historicus, imo Polyhistor, celeberrimus, in suis ad Sleidanum, *de IV. summis imperiis*, annotatis, ubi p. m. 26. edit. prim. in 12. ait: *Post Rabbinos, Joannem Bodinum, Gallum, in Historica Methodo, doctrinam hanc impugnavisse: cui præter alios responderit Matthæus Dresserus, Andr. Francoberg. & Job. Pappus.* Tantum igitur abest, ut Judæi hanc sententiam de IV. Monarchiis, dicto somnio figuratis, in *Europæorum*, & præsertim *Romanorum*, ignominiam confinxerint, ut illi ipsi Nostro potius, eam cum Bodino perstringendi & deridendi auctores primi fuerint, quos ipse hic adeo ut suos anteambulones sequitur. At, ait ille, (p. 7. 8.) *Judaicam hic fraudem subodoratos jam pridem historicorum & Politicorum nostratium primos, etiamque Conringium.* Sed, quicquid, post Bodinum, Becmannus, in *Diss. de IV. Monarchiis*, Huberus, *Instit. Histor. L. 1. C. 4.* & vel ipse Doctiss. Conringius l. d. contra statuerint, parvi nostra referet, cum jam non Scriptorum autoritate, sed rationum gravitate hanc rem agere & *fabulae Judaicæ* (verbis dico Auctoris, l. d.) *colores detegere, & quis hic fascino Christianis imposuerit, aut imponere studuerit, breviter demonstrare sit animus.*

Neque adeo nunc operosius inquiram, an, quod Autor p. 3. asserit, *Historicorum & Poëtarum*

tarum Græcorum Romanorumque nec unus extiterit, qui de IV. Monarchiis vel somniaverit: etsi vel ad VELLEJUM PATERCULUM, illas L. I. memorantem, provocare hic possem, nec non ad Poëtas ex Græcis & Latinis, quos ex hoc Nebucadnezaris somnio deinde quatuor mundi ætatum, Aureæ, puta, Argenteæ, Æneæ, ac Ferreæ, descriptiones sumfisse, asseverare non dubitat, cum aliis, D. CHYTRÆUS, Chronolog. p. m. 270. Noster, visionem Nebucadnezaris, & Danielis in illam Commentationem, quæ à Judæis, in præsentem suæ genis in Europæo exilio spem, atque tristem Europæorum stragem, argute detorta sit, in Babylonici tantum imperii LXX. annorum fata collimasse, statuit, & Judæos sub Nebucadnezare, Evilmerodacho & Belsazare usque ad Cyrum in exilio Babylonico hæsueros, salvos dein evasuros ad ecclesiam in patria restaurandam, præmonuisse. d. p. 8. Prima vero & primaria, imo fere unica, ejus ratio, quam primo & postremo, p. 9. sqq. & p. 38. sqq. urget, hæc est, quod Daniel v. 29. & 30. dicit: *Nebucadnezarem in cubili suo volvisse cogitationes de futuris rerum fatiis, Deumque ipsi, indicasse, quid futurum postea esset, - - ut cogitata cordis sui nosset.* Vir Cl. igitur, supposito, „Regem, jam Judæorum aliorumque populorum late Dominum, quid de rerum suarum „statu, gloria & potentia impostertum esset „futurum, animo diu multumque volvisse, quæ „nimirum sibi & suæ regiæ domui immineret „fortuna, & quæ sibi, filiis & nepotibus, im-

„penderent? Quæ suæ majestati imminerent  
 „vel incrementa vel tempestates: ut qui me-  
 „minerit, tot populos subjugatos machinatu-  
 „ros facile alicubi, quod robur regni quassa-  
 „ret, si non, se vivo, certe in posteris; qui-  
 „que imprimis curate noverit, in vicinia, in  
 „Persia, juvenem adolescere, *Cyrum*, admira-  
 „bili belli & ingenii apparatu, cujus annos vi-  
 „riles ac seniles portendere magnos motus, ab-  
 „unde præviderit, non sine augurio, suis  
 „quoque nepotibus in Babylonica sede mole-  
 „stum fore *Cyrum*; Qui denique haud diffi-  
 „culter suspicatus sit, ipsosmet *Judæos*, jugi  
 „impatientes, molituros, si possint, liberta-  
 „tem: Eundemque recordatum vaticiniorum  
 „*Jeremiæ*, C. 27: 5-8. C. 29: 10. it. C. 50. &  
 „51. quibus ille non tantum *Judæorum*, post  
 „*Babylonicam* LXX. annorum servitutem, li-  
 „berationem, sed & ipsius regno in nepote  
 „terminum, a *Medis* ei *Persisque* afferendum,  
 „prædixerat“ &c. p. 9. 10. Hoc, inquam,  
 supposito, colligit, aut potius conjicit, p. 11.  
*Deum regi, quæ vigil præviderit & metuerit, fata,*  
*in somniis monstrasse & depinxisse: quia ei per*  
*somnium dicatur detectum, quod ante somnium desi-*  
*deraverat. p. 12. Sane, inquit, p. 38. fs. Nebu-*  
*cadnezar res suas meditatus, ante somnum, imperii,*  
*quæ sibi & suis deinceps eventura essent, animo vol-*  
*vit, quis regni sui in filiis & nepotibus successus fu-*  
*turus, quæ impenderent tempestates suis & filiorum*  
*rebus. His desideriiis respondit Deus visione obla-*  
 ta

ta. - - Remotiora & interiora, occultiora, sublimiora, sacra ecclesie olim fata atque tempora, quæ regis cogitationem & iudicium superarent, nec præmeditando quasivisse, nec in visione animadvertisse, nec ex Danielis Commemoratione tunc didicisse, putandus. Illa igitur ante somnum expendit, in somno sensit, a somno ex Daniele accepit, quæ intelligeret ac penetraret: Quæ sibi suoque regno & familiaræ impenderent tempora. „Occumbet, inquit Deus & Daniel, Nebucadnezar cum filio & nepote, regnoque in finitimos Persas ac Medos delato, ecclesia judaica, misere a Babylonis torta, libertati vindicabitur, Deo prospiciente.“ p. 40. Sed Respond. quicquid sit de Regis ante somnum cogitatis, etsi vel maxime concedatur, eum ex tot ominibus & præsagiis redditum fuisse in cubili tristem & sollicitum, suæque potentie vim cum insidiis & machinis Persarum, cum oraculis præsertim Judeorum prodigiosis eventum, vel dubium composuisse; ut loquitur Autor, p. 11. nemo tamen certo inde colligat, Deum O. M. in visione, ipsi postea hac occasione oblata, & a Daniele deinde explicata, non spectasse ultra illa, quæ Rex vigilans ante cogitaverat. Nonne Deus Davidis mentem, occasione cogitationum ipsius de se, rebusque sui temporis, in Psalmis sæpissime ad sublimiora, & res temporum multo posteriorum, evexit, ut, quæ privatorum negotiorum ambitum longe excederent, proferret ac de Christo, ejusque regno & hostibus, au-

gustiora ederet vaticinia? Et (si hoc forte etiam negare velit Nolter,) annon 2 Sam. VII. 19. ipse David exserte fatetur, Dominum ipsi, cum non nisi de materiali templo ante cogitasset, (Vid. v. 2. 5. 7.) *locutum etiam esse de familia sua in longinquum*, dum ei illa occasione de templo mystico, ab ipso olim Christo, sero Davidis (κατὰ σέρεκα) nepote, ædificando spem fecerat? Quem in sensum ibi v. 12. sqq. Nathanis etiam vaticinium omnino esse intelligendum, Melchior in *fatis ecclesie sec. parabb. Matth. Cap. 6. Tom. I. Opp. p. 127. & Comm. in Ep. ad Ebr. ad C. I. v. 4. ib. p. 575. ac Goussëtus, in Vesp. Gron. Colloq. XX. p. 462. ss. demonstrant. Complurium certe Psalmorum inscriptio docet, quam sibi fecerit Spiritus S. ista in prophetia sua loquendi occasionem, adeo ut neque tunc explicatio ad historiam illam adstringenda sit: (monente quoque passim Augustino; Vid. ad Psal. 4. & 7. &c.) id quod fieri quoque sæpe nequit, nisi sacras scripturas eadem opera in vacuas ampullas convertamus, multaque præter historiam confingamus, aut verba misere torqueamus & prorsus evacuemus: quorum illud in sacris licentiosa temeritas est, hæc vero non ferenda *σπεύβλοτης*. 2 Petr. 3:16. Quoties vero & Christus Dominus, a suis interrogatus, occasione ex eo, quod verba ipsorum valere poterant, desumpta, non ex eorum mente & opinione, sed ex Dei consilio & rei veritate illis respon-*

dit?

dit? Vid. Actor. 1: 6--8. Luc. 13: 23. 24. Sic Christus Marc. 13: 4. fs. Apostolis, de excidio Hierosolymæ & templi (de quo ib. v. 1. 2.) sciscitantibus, ita respondet, ut etiam ecclesiæ fata, longo postea seculorum decursu sub *ἀποστασία* Antichristiana, & deinceps, usque ad seculi posterioris consummationem eventura, ordine enarret. Id quod ex collato parallelo Matthæi C. 24. clarissime patet; ubi Christum v. 15--22. signa primum excidii Hierosolymitani, deinde vero v. 23--31. ecclesiæ suæ fata, ordine successura, ipsiusque adventum in regnum suum, in posterioris seculi *συμπληρία*, tuba VII. clangente, consummandum, (V. Apoc. 10: 6. 7. C. 11: 15. fs.) præsignatura, recensuisse; utraque vero a v. 4. usque ad v. 14. in antecessum breviter perstrinxisse, præ aliis Coccejus, Huyfinga, Sal. van Till, in suis ad Matth. l. d. *Commentariis*, & noster etiam Sandhagenius, in *Introduct. ad N. T. h. l.* inque *Epistolis suis Theoll.* Part. 2. n. 5. alique, contra Grotium ejusque sequaces, evidentissime demonstrarunt. Quanquam enim (ut hoc obiter addam) unica duntaxat ista Apostolorum videatur interrogatio; vel saltem, quamvis illi, cum pro isto, quo tunc adhuc laborabant, stupore, confusos admodum de futuris procul dubio haberent sensus, de alio *Domini adventu*, quam qui Hierosolymæ excidium comitaretur, deque alia quam prioris seculi consummatione, forte non cogitaverint, atque adeo

adeo ea, quæ reapse sejuncta erant, sua mente conjuncta perplexo miscuerint ratiocinio; nihilominus, quod perplexe concipiebant, sic satis distincte proponerent, linguam eorum dirigente Domino, ut ansam ipsi, ea, quæ ad regnum Dei pertinebant, revelandi, opportune præberent. Quid vero prohibet, quo minus statuamus, ita hic quoque Deum cum Nebucadnezare egisse, & occasione cogitationum ejus de successu & fortuna imperii sui ac suorum in somnio, ipsi postea objecto, reliquorum etiam mundi imperiorum majorum, cum quibus populo suo olim ad finem usque seculorum luctandum foret, successus & vicissitudines animo ejus repræsentasse? Hoc unum vero non possum, quin adhuc inter illa Cl. Autoris præsupposita notem, ut quod locum habere nulla ratione queat; nimirum quod *Nebucadnezar* abunde jam præviderit, non sine augurio, *Cyrum* jam tum admirabili belli & ingenii apparatu juvenem, nepotibus ipsius olim fore molestum, ut *cujus anni viriles ac seniles magnos motus portenderint.* p. 10. Quod ejus augurium utique portentosum fuisse oportet, cum *Cyrus*, quem LXX. duntaxat annos explevisse, Cicero L. I. *de Divinat.* ex Dinonē (περσικῆς πραγµατείας, secundum Athenæum, Scriptore gravissimo,) refert, anno abhinc fere septuagesimo Babylone demum regnare cœperit, quo & Judæos libertati & patriæ reddidit: sub initium enim regni sui (monarchi-

ci) Nebucadnezari hoc somnium, quod ipse Cl. Autor in *Babylonici imperii LXX. annorum facta collimare* credit, oblatum jam esse, Daniel C. 2: v. 1. testatur: Cum paulo ante, Hierosolyma capta, Jechoniam Regem cum aliis plurimis in servitutem abduxisset, XIIX. ante Hierosolymæ excidium annis. Atqui, exinde *septem*, secundum Xenophontem, imo, secundum Ptolomæi *Canonem*, *novem* adhuc, annos imperavit. Quæ docent, totidem fere post hocce Somnium annis Cyrum natum nondum fuisse: tantum abest, ut, visi hujus somnii tempore jam *belli & ingenii apparatu admirabilis* fuerit, aut esse potuerit; (id quod ætatis ejus annum jam decimum septimum ad minimum postulasset) Non-entis enim, quod ajunt, *nullæ sunt affectiones, nullaque attributa*: Nisi ætate Cyri, contra omnem historiæ fidem, annis XXIV. aucta, eum ultra XC. annos vixisse, temere velis conjicere aut *divinare*; quod sane non fani esset *Philologi*, nedum *Theologi*. Sed ut ad rem *tandem ipsam propius veniamus*, demonstrandum nunc est, Deum revera Nebucadnezarem ultra & præter ea, quæ ei vigilantibus, deque regni sui & successorum fatibus meditantibus, in mentem venerunt, aut venire potuerunt, de aliis etiam regnis, post futuris, eorumque conditione & ad populum suum respectu in somnis monuisse. Ipsum audiamus Danielem, & sermonis ejus *filum presse* (ut & facturum se Cl. Autor p. 8. promisit, sed pres-

sus

fius quam quidem ipse id præstitit,) *sequamur*.  
 Dicit ille C. 2. v. 28. *Deus cælorum, arcana re-*  
*velans, indigitavit Regi id quod futurum est* באחרית  
 ימיא *in extremitate (Junius & Tremell. perpe-*  
*ram, in consequentia) dierum istorum.* Græca  
 τῶν ὁ Versio recte hic reddit, ὁ δὲ γίνεσθαι ἐπ'  
 ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν. *quæ fieri oportet in postremis*  
*illis diebus.* At vero, τὸ אחרית ימיא longius,  
 quam ad filii & nepotis Nebucadnezaris ævum  
 prospicere, nemo cum ratione diffiteri potest.  
 Inter omnes enim non Christianos tantum sed  
 & Judæos constat, τὸ אחרית הימים quod E-  
 braice idem est, quam illud Chaldæorum  
 אחרית ימיא (quæ & utraque ubivis tum in  
 Versione V. T. Græca, tum in Scriptis Novi  
 Test. per illud ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν expri-  
 muntur; uti ab Onkeloso illud Ebræum per  
 אחרית ימיא סוף *finis dierum*: Vid. Gen. 49: 1. &c.)  
 tempus Messia, ejusque regni, apud Prophe-  
 tas denotare. Vid. Esa. 2: 2. Mich. 4: 1. Jer.  
 30: 24. Hof. 3: 5. Num. 24: 14. Deut. 3: 30.  
 C. 31: 29. ut & Genes. 49: 1. ubi R. Moses ben  
 Nachman, (apud Coccejum ad h. l.) ita com-  
 mentatur: *In extremitate dierum. Hi sunt dies*  
*Christi.* Nam Jacobus illum indigitat in sermonibus  
 suis, quemadmodum dicit, (postea v. 10.) *Donec*  
*veniat Silo, & ei erit obedientia populorum.* Et  
 R. Salomo: (Drusio ad h. l. laudatus) *Dixit*  
*etiam, in novissimis diebus, quia aliqua dixit eis*  
*de adventu Messia, cujus tempora dicuntur novissi-*  
*ma.* Et, quanquam alicubi postremum temporis  
 l. sc-

f. seculi prioris, sub V. T. designet, (quaratione ei respondet συντέλεια τῶν αἰώνων, Consummatio Seculorum, in qua Christus in carne venit, Ebr. 9:26.) alias tamen ὁμολογούμεως extremum temporis, a primo Christi adventu ad secundum lapsuri, denotat. Vid. Jer. 30:24. Hof. 3:5. Quanquam res eodem fere recidat, cum sub finem prioris temporis cœptum sit posterius. Cum igitur Deus Nebucadnezari indicare hic voluerit, *quæ fieri oporteret in extremitate istius temporis*, h. e. sub N. T. s. regno Christi, longe profecto ultra filii ejus nepotisque ævum visio, ipsi in somnis exhibita, se extendat, oportet. Et observanda hic est diversa prorsus loquendi ratio in v. 28. & 29. Hic enim dicitur, Nebucadnezarem quidem cogitasse tantum, quid futurum esset אחרי אחרית *post hac*: Sed ibi sic: Deus ostendit Regi quid fieri oporteret באחרית ימיא *in extremitate dierum*. Quo mea ante dicta confirmari, quisque clarissime videt. Neque tamen ita hæc Danielis intelligenda sunt verba, quasi nihil etiam de intermediæ temporis fati ostendere ipsi Deus hac visione voluerit: Sed ita Vates loquitur, quod ea, quæ postremo tempore sub Monarchia quarta eventura hic præmonstrentur, omnium essent præcipua, & propterea etiam pluribus hic circumstantiis verbisque depicta: ob quæ vel sola somnium illud Regi esset objectum. *Quæ remotiora & interiora, occultiora, sublimiora & sera ecclesie olim fata,*

fata, ut Regis cognitionem & iudicium superantia, nec præmeditando ab ipso quesita, licet Vir. Cl. cum nec in visione animadvertisse, nec ex Danielis commemoratione tunc didicisse, putet, seu putandum esse putet, p. 39. 40. putandum tamen omnino est: imo non quidem putandum, sed, ut ex ipso sermonis ordine certo petendum & certissime verum, fatendum esse, satis patet. Non vero tam insolens Deo est, successiones ac vicissitudines imperiorum huius mundi, quibus cum populo ejus res & varia lucta intercedit, viso prophético præadumbrare, ut credit Noster. Annon enim & Zachar. 6: 1. fs. eadem quatuor majora orbis terrarum regna, Babylonicum, Persicum, Alexandri, & Seleucidarum ac Romanorum, Vati exhibentur sub emblemate quatuor quadrigarum, a rectoribus suis administratarum: ubi Babylonicorum currui, equi rufi videbantur juncti; Medorum Persarumque, nigri; Currus vero Alexandri, ab albis; & Seleucidarum ac Romanorum, a grandinatis & robustis, seu (ut alii vocem חֲמִצְקָא ibi transtulerunt) rubicundis, equis, omnem terram perambulantibus, trahantur. Qui equorum colores ibi procul dubio genus & qualitatem consiliorum divinatorum, divinæque providentiæ, cum respectu ad ecclesiam, ejusque sub istis regnis statum, significant. Unde tales equis istis colores tribui videmus, quales istorum Imperatorum ad ecclesiam ætatis essent, ex consilio Dei,

Dei, quod ipsi exequerentur; sive, quale Dei esset consilium & propositum de Ecclesiae in istis temporibus, quibus hi reges in mundo regnarent, conditione ac statu. Nec quicquam Cl. Autorem juvat, quod p. 39. scribit *Nebucadnezarem, Regem ethnicum, Judaeorum hostem, circa ecclesiam non ulterius quid desiderasse, quam an perpetui futuri essent Judaei Babyloniolorum servi in suo & filiorum regno? - - nec ergo immediate Danielem in recensione ulterius progressum, quam quousque Regis desiderio congrueret. - -*

*Hec capere Regem ethnicum sustinuisse. Quo enim pacto colligere hinc liceat, Deum hunc Regem, licet ethnicum, & populi sui hostem, non de multis quoque aliis, de quibus ipse ante nec cogitaverat, nec scire quicquam desideraverat, per Somnium & per Danielem instruxisse? Cum Deus jam ante Balaacum, Regem itidem gentilem, & vel maxime hostem Israelitarum infensissimum, per visionem & vaticinium Bileami, ejusque Pseudoprophe-tae, (Vid. 2 Pet. 2:1. coll. v. 15. 16.) de futuris populi sui fati longinquis, imo vel imprimis de Messia ejusque regno, (doctissimo etiam Clerico, ad Num. 24: post alios agnoscente ac demonstrante: Conf. Alting. de Schi-  
lo, L. 2: C. 4. & Parall. Vaticinn. V. T. Artic. 3.) quo de scire ille nil quicquam avebat, edocuerit. Sed videamus nunc tandem, quod ipsa res est; quomodo videl. Cl. Autor somni regii enarrationem, Danielisque interpreta-*

tionem sententiæ suæ accommodare sit conatus, ut constet, num illa hanc patiat, vel respuat aut potius evertat. Principio concipi: ille hic *statuam πανοπλισμένην*, (universa armatura a capite ad pedes usque indutam) *magni herois personam referentem*: cujus *Caput Galeatum aurea casside* fulserit, *pectus* itidem & *brachia ex thorace* & *brachialibus argenteis*, ut *argentum* splenduerit: *Venter* vero dehinc cum *lumbis ex aenea inferioris corporis armatura aeneis*, & *crura* denique ex *ocreis ferreis*, luto adpersis, *ferrea* partim, partim *lutea*, apparuerint. Sed, non tam recte & vere hæc, quam speciose dici seu fingi, judicabit, quisquis Danielis, Autori in os q̄. contradicentis, verba presse, uti decet, sequetur; utpote qui v. 32. *Statuæ Caput* כֶּסֶף דָּהָב *auri boni*, h. e. ex auro bono, dicit fuisse; *Pectus* cum *Brachiis*, כֶּסֶף אֲרְגָנְתִּי *argenti*, h. e. ex argento; *Ventrem* אֲרְגָנְתִּי *eris*, h. e. ex ære; & *Crura* פְּרֹזֶל *ferri*, h. e. ex ferro &c. Et, ut vel maxime aliquam veri mentiatur speciem, (id quod nec quicquam tamen causam Viri Cl. juvabit,) quod *Caput*, ob auream duntaxat galeam, qua tectum illud fuerit, *aureum*, *Pectus*que cum *Brachiis*, ab argenteis tegumentis, *argentea*, & *Venter* cum *Lumbis* ab illis *aeneis*, *anei* fuisse dicantur; vel soli tamen *pedes*, imo eorum *digiti*, (qui, ut *partim ex ferro partim ex luto* reapse *mixti* apparuisse dicuntur, per *ocreas* vero *ferreas* haudquaquam, a quoquam,) ita distincte disparuisse,

se, dicentur, (Vid. v. 33. & 41.) palam intercedunt, quo minus specioso illi figmento fides possit haberi; ad unum quippe omnes & uno quasi ore clamantes, (si vel ipsum *Caput* taceat, nec rei falsitatem prodatur,) istam *Colossi* *παροπλίαν*, Danielis omnino ingratis esse confictam. Quam vero incongruum nunc est, per *Caput aureum* a Viro Cl. unam duntaxat Nebucadnezaris personam intelligi, non vero per *συνεκδοχὴν*, ejus etiam successores, quorum ille hic quoque repræsentabat personas? Cum enim illud Danielis v. 37. sqq. de Rege *Babylonico* interpretetur, cui *Deus regnum, potentiam, robur & majestatem concesserit, regionesque hominum & bestiarum*, h. e. Judæorum & gentium, &c. & vero *Jeremiæ* C. 27: 6. sq. testetur *Deus*, se non minus filio & nepoti Nebucadnezaris, quam ipsi, omnes regiones & regna ferasque etiam & bestias, mancipasse, ut eis servirent; manifestum utique est, illos non minus, quam hunc, per *Caput hoc aureum figuratos*, seu omnes Reges *Babylonicos hoc Capite*, eodemque Nebucadnezare, esse repræsentatos. Quod tanto certius est atque evidentius, quanto inconvenientius (secundum Autoris interpretationem) de successione filii, Evilmerodachi, in regno patrio *Babylonico* dicitur, *regnum aliud tanto humilior* s. inferius illo, quanto argentum auro vilius est, ortum esse. Illa certe loquendi ratio novum plane regnum, vel novam saltem regni *Dynastiam*,

manifesto indicat; non vero successionem filii, regni patrii hæredis, ex vulgato loquendi usu apud omnes gentes recepto, arguit: (תקום מלכו אחרי ארעא מנך) *Exsurget regnum aliud, inferius s. humilior tuo:*) Cum contra Evilmerodachi regnum non fuerit novum s. aliud; sed idem illud, quod fuerat patris, cui in eodem illo successit. Neque extitit, credo, ante Nostrum, (ejusque antesignanum, Bodinum,) qui in singulari hac metallorum hujus Colossi interpretatione unum tantummodo Regem, (ut in aureo *Capite* & æneo *Ventre* facit Autor,) & non potius continentem plurium Regum, in uno eodemque regno sibi invicem succedentium, seriem, appellatione regni intellexerit. Vid. Junius ad h.l. Et ecce! ipse quoque Vir. Cl. regnum secundum, argentei pectoris symbolo designatum, (quod certe, secundum istam rationem, non minus quam *Caput aureum*, & *Venter æneus*, uno tantummodo Rege deberet constare:) tres habere Reges, sibi in unico hoc regno invicem succedentes, ipse statuit, ut ipsius adeo rationes minus hic sibi constent.

At vero dicit, p. 16. sq. scite & admodum distincte totam rerum faciem, in regno Evilmerodachi, effigiatam brachiis pectori junctis, pro magnis in regno motibus, Evilmerodachi tranquillitatem & gloriam haud parum quassaturis. Biennio enim ab obitu Nebucadnezaris, successorem ejus Evilmerodachum, mox per Neriglissorem, sororis sue maritum,

ritum, extinctum: qui Neriglissor unum fuerit in regno Evilmerodachi brachium: alterum vero, postquam ille in prelio occubuisset, quadriennio post enatum esse, Laborosoarchodum, istius filium, brevi quoque, intra annum, sublatum. Hos itaque duos, ait, ex filia Nebucadnezaris nepotes (in quo vero manifesto falsus est, & suis quoque recte modo dictis ipse contradicit; cum Neriglissor, sororis Evilmerodachi maritus, Nebucadnezaris utique gener, Laborosoarchodus vero, illius Neriglissoris filius, solus hujus Nebucadnezaris nepos, fuerit) gemina regni brachia in Colosso regio fuisse, adeoque, cum & ipsa hæc fuerint argentea, cum argenteo pectore unum hic tantum constituere regnum, putat. Sed nihil hæc eum juvant. Par enim est ratio aenei ventris & lumborum aeneorum, v. 32. quibus v. 39. regnum tertium respondet, quod rursus unius tantum regis, Belsazaris, esse, Cl. Autor statuit: quod vero, secundum istam quoque rationem, non minus quam argenteum Pectus cum brachiis argenteis, tres ipsi referre iterum deberet Reges, in uno eodemque sibi invicem succedentes regno: ut mox dicetur. Accedit, quod Neriglissor minus congrue & rationibus Autoris convenienter, brachium fuisse in regno Evilmerodachi, dicitur; cum ipse, Evilmerodachum extinctum jam fuisse, fateatur, antequam Neriglissor regnum capefferet; nisi eadem hac ratione & Evilmerodachum ad Nebucadnezaris regnum referre velit, & dicere,

cere, illum in hujus regno fuisse pectus; quod ipsius tamen hypothese repugnat. Quam coacta igitur ista sint omnia, quamque male inter se cohæreant, Lector intelligens agnoscat plus satis. Et observo, quod, ubi porro, *Laborosoarchodum* fuisse alterum regni brachium in *Colosso* regio, statuit, priora illa videatur corrigere, dum jam non dicit, *brachium in regno Evilmerodachi*, (ut ante de *Nerigliffore* dixerat,) sed *brachium regni in Colosso regio*: quasi nunc unum tantum *Babyloniorum regnum* agnoscat & fateatur. Jam vero taceo, quod de illo *Laborosoarchodo* nondum res in historia certa, sed adhuc sub judice lis sit, num inter *Babyloniorum* reges ille sit referendus. Nam, in *Ptolomæi Canone*, meliores etiam editiones eum prorsus non memorant. Si dixeris, quia impuber fuerit, & IX. duntaxat menses *Diadema* gesserit, illum ibi præteritum: Respondeo, ergo neque illum (vel eo saltem minus,) regni *brachium in Colosso* hoc regio posse censer. Sed &, quod amplius est, *Josephus Scaliger* & *Dion. Petavius*, eundem hunc *Laborosoarchodum* ipsissimum esse *Belsazarem*, evincere sategerunt; qui (at quanti Viri!) in aliis vero omnibus hujusmodi *προβλήμασι* definiendis licet dissentientes, in hanc tamen sententiam pari concordia & fiducia prorsus conspirant: quos hic inter alios secutus etiam est *Vorstius*. Quomodo vero in *Belsazaris* regnum (si illud vel maxime sit *tertium*) præ secundo isto *Evil-*  
mero-

merodachi conveniet, quod d. v. 39. de re-  
 gno tertio dicitur, *Illud nimirum imperium &  
 potentiam duriter exerciturum in omnem terram?*  
 Unde, quæso, constat, regnum ejus præcipue  
 fuisse robustum ac potens præ primo, vel saltem  
 secundo? Quod si dixeris, hoc parricidiis vehe-  
 menter concussum, ejusque gloriam & potentiam a  
 Cyro & Cyaxare, qui tum jam Babyloniam pri-  
 ma vice invaserint, occumbente tunc etiam in prælio  
 Neriglissore, (Xenophonte teste) non parum  
 fractam fuisse: (quod dicit Noster, p. 17. 18.)  
 Respondeo, sub Belsazaris regno potentiam  
 Medorum ac Persarum contra illud adhuc ma-  
 gis invaluisse, adeo ut id plane tandem occu-  
 paverint, ipsa etiam Babylone expugnata, &  
 Belsazare noctu inter pocula occiso. Dan. 5.  
 Quomodo igitur hic, ejusque regnum, καὶ  
 ἐξουσίαν, s. præcipue & præ aliis, potens dici hic  
 potuit, duriterque imperium & potentiam exer-  
 cuisse in omnem terram? Quod vero Cl. Au-  
 tor p. 19. illud de Judæis, tunc adhuc jugo Babsy-  
 lonico, & vehementius quidem pressis, interpreta-  
 tur, nemini satis fecerit; cum illud vim ser-  
 monis hic minime exhauriat, nec probari et-  
 iam possit, Judæos tunc a Belsazare durius,  
 quam sub ejus prædecessoribus, esse habitos.  
 Evilmerodachus quidem antea singulari qua-  
 dam ergo Jechoniam clementia usus fuisse  
 legitur: (2 Reg. 25: 27. 28.) qua & sub ipsius  
 imperio frui Judæi omnes potuerunt: Sed  
 illud duorum duntaxat annorum fuisse, con-

stat, nec sub ejus percussore, Nerigliffore, qui dehinc rebus *quadriennio* præfuit, (ut adeo ille potius in hujus regno *Pectus*, quam hic in illius regno *Brachium*, dicendus fuisset, vel æque saltem dici potuisset: quod supra monendum adhuc fuerat) mitius eos aut mollius, quam post & antea, esse habitos, credibile est, nec unquam probabitur. Sed & hoc vel imprimis considerandum hic est, (quod jam ante quoque tetigi) *Ventrem cum duobus femoribus æneis*, unicum Regem Belsazarem, ejusve regnum, figurare nulla ratione potuisse. Quemadmodum enim modo in regno secundo, per *Pectus argenteum* designato, (quod filii Nebucadnezaris esse, Vir Cl. putat,) ipse agnoscebat, *duobus brachiis*, itidem argenteis, *Pectori* junctis, ut duo reges alii eodem in regno respondere; oportere; ita hic quoque (si constare sibi per omnia istæ explicandi rationes debebant) in tertio regno, quod *æneus venter* præsignat, quodque nepotis Nebucadnezaris esse, statuit, *duo femora reges duos alios*, a *Belsazare* distinctos, eique, non secus ac in secundo regno Nerigliffor & Laborosoarchodus Evilmerodacho, suffectos, ut figurent, necesse utique esse, ipse quoque Autor Cl. secundum suas ipsius explicandi rationes agnoscere tenetur. Quos cum ibi ante regnum Medo-Perficum (quod ipsi *quartum*, idque *ferreum* illud, est,) reperire non liceat, indicium illud inconvenientis explicationis hic præbet  
mani-

manifestum, hancque esse hiulcam, nec sibi-  
 met ipsi constare, immo nec ipsi Cl. Autori  
 posse satisfacere, inde fit evidentissimum.  
 Cum contra communis Visi hujus interpreta-  
 tio, tam in hoc quam in reliquis omnibus, sibi  
 optime constet, eique convenientissime re-  
 spondeat: ut alias videbimus. Judicium ita-  
 que nimis præceps Noster tulit, quando hic  
*aureum caput, argenteum pectus, & æneum ven-*  
*trem, tres imperii Babylonici esse formas, a Jere-*  
*mia c. 27. cum Nebucadnezari filii & nepotis suc-*  
*cessionem promitteret, prænunciatas, sic satis auda-*  
*cter asseruit; pleno insuper ore pronuncians,*  
*Jeremiam in Nebucadnezaris hanc sollicitudinem ac*  
*visionem, nec non Danielis interpretationem, rem-*  
*que hanc universam, luculentissimum esse commen-*  
*tarium. (Commentatorem, dicere voluit) p. 19.*  
 Non jam (quod fieri alias non abs omni for-  
 san ratione hic posset,) de insigni Autorum,  
 etiam vetustorum, in recensendis *Babylonio-*  
*rum post Nebucadnezarem usque ad Cyrum*  
*Regibus, dissensu, & antiquissimorum monu-*  
*mentorum, seu fragmentorum potius, Berosi,*  
*Metasthenis, Abydeni, Ptolomæi, Herodoti*  
*&c. sive obscuritate, sive suspecta, ob rela-*  
*tiones male cohærentes, fide dicere quic-*  
*quam volo: quo fit, ut alii, Belsazarem Danie-*  
*lis, ipsum esse Evilmerodachum, quem Canon*  
*Ptolomæi Ἰλαροδάμων Ilvarodamum appellat,*  
 (quia Josephus L. X. Antiqq. C. XII. idem fe-  
 re regnandi tempus ei assignat, idemque utri-

usque memoratur exitus) *Neriglifforem* vero, primum jam ex Medis; at *Darium Medum*, ipsum *Astyagen*, *Medo-Perfarum* Regem, *Cyri* avum, esse, putant: (quod *Marshamo*, in *Chronol. regum Ægypt.* p. 597. placuit:) Alii *Belfazarem* contra pro *Laborosoarchodo* *Berosi*; at *Darium Medum*, qui *Laborosoarchodo* successit, pro *Nabonadio*, sive *Nabonedo*, in fragmentis *Berosi* & *Metaſthenis*, nec non in *Canone Ptolomæi*, loco *Belfazaris* memorato, recognoscant: quam in sententiam *Scaligerum* cum *Petavio* mire conspirare, jam ante dixi) Alii rursus, eundem *Belfazarem* vere esse *Nabonedum* illum, statuunt, postremum *Babyloniorum* regem; (quem, familiari *Babyloniis* literarum *L. & N.* permutatione, *Labyntum* vocare videtur *Herodotus*; *Noster* vero, forsan ob ea, quæ *Metaſthenes* apud *Euseb.* de *præp. ev.* L. 9. C. 40. de illo, quasi a *Cyro* in *Borisippa* obsessio, & post deditioem, *Caramanniæ* præfecto, refert, pro *Belfazaris* filio habet) At *Darium Medum*, filium *Astueri*, (*Dan. 9: 1.*) ipsissimum esse *Cyaxarem*, Regem *Medorum* postremum, *Astyagis* filium, *Cyrique* socerum & avunculum: quæ sententia, inter veteres, est *Josephi* & *Hieronymi*; inter recentiores, *Tornielli*, *Ufferii*, *Spanhemii*, & *Nicol. Abramii* (cujus hoc de argumento erudita extat *dissertatio*) quemadmodum & *Cl. Perizonii* *Babylonica*, nec non *Doctiss. Abelii* *Histor. Monarch. orbis antiqui*,  
L. 1.

L. I. p. 423, sqq. & 437. ( qui vero in omnia alia abit, ) hanc in rem inspicere omnino merentur: nos enim id jam non agimus. Sed, quid dehinc Colossi pedes? merito nunc interrogat Noster. Durus sane, ipsoque dignus vindice, nodus. Verum, num *luculentissimus ex mente Autoris in rem hanc universam Commentarius* (quo nomine *Jeremiam Prophetam* ab eo honorari, modo vidimus,) l. d. quicquam ad hujusdem solutionem suppeditet, equidem nescio: sed tamen Noster eo, ad hæc Commentatore uti voluit, ne ex suo, quæ ad hanc rem ipsi facere quodammodo posse, videbantur, depromsisse ingenio videretur. *Prænuñciaverat, inquit, Jeremias, (scilicet cap. 50. & 51.) Nebucadnezaris regnum, in filium nepotemque propagatum, pessum iturum, a vicinis Persis & Medis occupandum & dividendum. Vidit & Nebucadnezar, a Ventre, Belsazare subsidente, in diversos pedes, diversamque massam, abiturum regnum. Quod evenit, Cyro & Dario Medo Babyloniorum Dominis &c. p. 21.* At vero, si *Babylonicum regnum pessum jam iit* (Autore hic fatente) cum, Belsazare cæso, à Persis & Medis occupatum illud & divisum est; quomodo hic sibi ipse constat, dum *quatuor Babylonia regna s. Monarchias* (ut in fronte libri sui scripsit,) extitisse; & hoc Colosso præsignata esse, ipse credit, & evincere nititur: si, inquam, cum tertio regno s. rege jam pessum iit, & ire debuit, *imperium Babylonicum, vi oraculi, per Je-*  
remi-

remiam editi? Sed videamus porro, num aliqua saltem, imo vel minima veri specie illud se conscientiae lectorum commendet, aut commendare quodammodo possit, quod *DARIUM MEDUM & CYRUM* crura Colossi ferrea, & pedes una cum digitis ex ferro & luto inter se mixtis, conflatos, retulisse, sibi nobisque persuadere nititur. Crura ferrea, inquit, p. 20. ex ocreis ferreis, armatura militari, sunt perquam appositum de Cyro augurium, Medo-Persa, qui, in regno Babylon. successurus, ferro durior futurus &c. Et postea ib. p. 21. Crura pedesque partim ex ferro, partim ex luto, constabant; ocrea puta ferrea, luto adpersa. Quid enim, quaeso, est, Scripturam detorquere & pervertere, si hoc non est? Audiamus ipsum Danielelem, v. 33. ex Regis somnio haec referentem? שקוהי די פרזל רגלוהי מנהון די פרזל חספא ומנהון די חספא Crura ejus ferri, pedes ejus ex parte ipsorum ferri, ex parte argillae: & v. 41. ואצבעתא מנהון חספא די-פחד ומנהון פרזל Et digitorum pars, argillae figulinae; & pars eorum, ferri. Et postea ibidem: פרזל מערב בחספא טינא ferrum permistum luto caeni vidisti. Hic non dicitur, Crura pedesve cum digitis fuisse ocreatos, (quod sane digiti, hic in nudis quippe pedibus visi; ut qui in ocreis conspici non potuissent, satis refellunt,) & luto extrinsecus duntaxat adpersos; sed ex ipso ferro & luto, tanquam materia sua constitisse, s. conflatos revera fuisse, ita ut ipsi etiam pedum  
 digiti

digiti sine tegumento apparerent ferro-lutei,  
 s. ex ferro & luto conflati, non vero ferro  
 tantum exterius obtecti, & luto insuper ad-  
 spersi, essent. (מערב enim, non *adpersum*, sed  
*permixtum*, significat) id quod & v. 42. 43. de-  
 nuo inculcatur; adeoque longe plus impor-  
 tare censendum est, quam *ocreas ferreas, luto*  
*adpersas, ut nunc transpareret ocrearum ferrum,*  
*vel chalybs, nitens; nunc oculos spectantis feriret*  
*adpersum lutum ex fundo, ubi staret, lutofo: ut*  
*fit in milite armato, qui in armis procedat, ut*  
 scribit Vir. Cl. d. p. 21. *Æqui & Christiani*  
*Lectoris, immo & ipsius Autoris, conscien-*  
*tiam hic appello. Profecto, cum is vocem*  
 מערב ipse quoque p. 22. & 26. *mixtum* inter-  
 pretetur, itemque p. 21. & 22. verba v. 41. &  
 42. sic ipse transferat, quod *crura pedesve &*  
*digiti partim ex ferro, partim ex luto NB. CON-*  
*STITERINT;* (quod sane longe aliud est,  
 quam quod *ferro obtecti lutoque adpersi* dunta-  
 xat fuerint,) Vix sibi quis temperet, quin  
 suspicetur, non tam suam hic illum dicere vo-  
 luisse sententiam, quam suum potius ostenta-  
 re ingenium, in his tam ingeniose detorquen-  
 dis, & Colossi hujus pedibus, pedumque di-  
 gitis, sermonis sui fucō (ne dicam, *luto,*) ad-  
 spersendis, vel illinendis; qui tamen iis vix  
 leviter hæret, cum illis non misceatur aut  
 misceri possit intime; sicut lutum illud ferro  
 pedum ac digitorum *commistum* fuisse dicitur.  
 v. 41-43.

Sed

Sed quid jam putat Vir Clar. *ferrum*, quid *lutum*, designare? *Cyrus*, inquit p. 21. sq. *ferri*, *Darius Medus*, *luti s. argillæ umbra egregia*. *Cyrus duorum illorum potior, fortior; Darius inferior, imbecillior: Cyrus, Persa, reliqui Orientis Dominus: Darius arbitrio Cyri tantisper Babylonis, ut inter illos convenerat. Quam regni Babylonici partitionem Cyro & Dario autoribus, Cyro tamen potiore, interpret Daniel v. 41. denunciaverat. At paulo ante jam dixerat, prænucciassè Jeremiam, Babylonicum regnum a Persis & Medis dividendum: Vidissè & Nebucadnezarem, a ventre, Belsazare, subsidente, in diversos pedes diversamque massam abiturum regnum: quod evenerit, Cyro & Dario Medo, Babylonicorum Dominis, inter se regnum partitis. Si igitur hi sunt ipsi duo <sup>avros</sup> ~~avros~~ pedes; quomodo *Cyrus ferrum*, at *Darius lutum* designare potest, ex quo utroque inter se misto uterque *pes* cum digitis suis constitissè dicitur? Ista enim ratione alterum pedem suis cum digitis *totum* ferreum, alterum vero cum digitis *totum* luteum esse oportuisset. Quomodo hæc dicta sive inter se, sive cum Danielis sermone, concordent, aut conciliari saltem queant, mihi non liquet. Autorem sane oportuerat sui esse memorem, ne diceret, quæ se invicem refellant. Unde jam evidens est, vana esse & evanida quæ dehinc p. 13. fs. per merum ingenii lusum circa vocem פרא (Paras) Persa quod nominis sono congenito proxime accedat ad פראל (Parfel) *ferrum*.*

rum, & circa vocem כַּשְׁדִּין (Chasdin) h. e. Chaldei, quæ sueta nominis allusione & affinitate ad חַפְּתִינָא (Chasaph tina) quasi *Chsaph-tin*, h. e. argilla s. lutum, alludat, argutatur: ad demonstrandum scilicet, Cyrum Persam & Persarum Dominum cum ferro, Darium vero, Chaldææ ex hoc Dominum, cum argilla, hic comparari. Quo pariter trahit, quod & Persia ferro, sicut Chaldæa argillâ, abundet. Hinc enim, ut dixi, colligendum esset, alterum Colossi pedem, qui Cyrum Persam refert, *ferreum* tantum, alterum vero, qui Darium designet, *luteum* solum fuisse: quod vero tum sermone Danielis, tum iis quæ ipse ante p. 21. dixerat, nosque supra jam vidimus, prorsus repugnat. Ceterum, *argutas* quas vocat, *nominis allusiones in visionibus & oraculis, symbolis & figuris hieroglyphicis, apud orientales præcipue ab omni ævo solennes*, haud quaquam damno, sed utique clavem plerumque in explicandis ænigmatibus prophetiis & allegoriis biblicis, ultro libensque agnosco. Cum nomina biblica non solum sint *σημαίνοντα* significantia, sed & *mysterium*, quod sub litera latet, prodere soleant. Vid. Gen. 17: 4. 5. coll. Rom. 4: 13. 17. Hos. 1: 9. 10. coll. Rom. 9: 25. 1. Petr. 2: 10. Apoc. 2: 1. 8. 12. Cap. 3: 1. 7. 14. C. 13: 17. &c. Quam in rem non sperno, quæ Doctiss. Vir, HERM. DEUSINGIUS, in *Demonstr. Allegor. Hist.* §. 60. 126. 139. 141. 145. 149. 150. sq. & in ejus *Apologia*, §. 25--27. sqq. §. 34-37.

§. 34-37. sq. §. 71. sqq. it. in *Comm. Mystico ad Decal.* p. 210. sq. p. 269. sq. nec non in *Allegor. Evangelica* passim, enucleavit. Sed in viam.

Prætereundum autem hic non est, quod Autor *Crura & pedes* hujus *Colossi* tam mire confundat, & pro iisdem reputet: quæ tamen ipsa *visio*, v. 33. ejusdemque *interpretatio*, v. 41. 42. (ut vel sola verborum superius allegatorum inspectio docet) studiose distinguit, illa ex mero solove ferro, hos vero partim ex ferro, partim ex argilla, constitisse, indicans: ex quibus inter se mistis ipsi etiam pedum digiti conflati fuerint. Quæ tria igitur in quarto hoc regno fuerant distinguenda, aut eorum *διλωσις* distincte ostendenda. Quemadmodum faciunt, & omnium commodissime facere possunt, qui quartum hic regnum de Romano imperio intelligunt: ut postea videbimus. Nisi enim hæc omnia distincte significarent, utique non tam studiose in *visio* essent distincta, nec tam prolixè & accurate enarrata: cum contra Vir Cl. hæc omnia misceat & confundat, imo *digitorum*, licet aliquoties memoratorum nullam plane rationem habeat, ut eos etiam, fictis crurum pedumve *ocreis ferreis* simul obtectos penitusve absconditos, ab oculorum nostrorum conspectu prorsus removeat. Sed bene est, quod *ocrea* istæ *ferrea* non veræ sint, sed tantum *imaginariæ*, adeoque non *ferrum* solum, per  
lutum

lutum ut putat, *adpersum*, sed ipsi quoque *pe-*  
*dum digiti* per ferrum illud ocrearum phanta-  
 sticum, satis transparent; neque conficta il-  
 la *luti adpersio* impediatur, quo minus eos distin-  
 ctè observemus. Unde, dum tacent etiam,  
 Autorem magno conatu nihil agere, cla-  
 mant: ut quorum vel minimus toti ejus com-  
 mentationi, quantumlibet ingeniosæ, mul-  
 toque studio elaboratæ, sufficit confutandæ  
 atque refellendæ. Unde nec opus jam est,  
 ad ea, quæ exinde p. 26. sq. ad v. 43. commen-  
 tatur, quippe tam ruinoso superstructa funda-  
 mento, pluribus respondere.

Et quam coactum etiam atque contortum  
 id est, quasi levis illa *coherentia ferri & luti istius*  
*per semen humanum*, in eo constiterit, quod  
*communes Cyri & Darii subditi fuerint captivi Ju-*  
*daei*, per omnes utriusque terras disseminati: in quos  
*nec Darius solus, nec Cyrus solus, dominium aut jus*  
*sibi vindicarent, sed communes eos tenerent subdi-*  
*tos; - - præter hoc communionis ex Judaica gente*  
*vinculum, ait Darius & Medus (Cyrus voluit di-*  
*cere,) omnino distincti; qui de cetero non cohere-*  
*rent, sed suo quisque uteretur regimine: uti ferrum*  
*in se luto revera non miscetur: ut de cetero Persi-*  
*cum tunc & Babylonicum regnum non prorsus coa-*  
*lescerent. Equidem non nego, (quod recte*  
*observat Vir Cl. tum hic tum p. 15.) Judæos,*  
*gentibus oppositos, Homines; has vero, animalia*  
*bruta, in scripturis censeri & sæpe appellari.*  
 Quo sensu Deus Gen. 9: 5. Noachi posteris,

speciatim Israëlitis, (intellectu utique mysti-  
 co) dicebat, *Sanguinem vestrum*, h. e. pro ani-  
 mabus vestris expiandis, (Vid. Levit. 17: 11.)  
*requiram, de manu omnis bestiae requiram illum, &*  
*de manu hominis*, h. e. ab omnibus hominibus,  
 cum gentibus, tum Judæis, *de manu viri, fratris*  
*ejus*, h. e. Christo, (Vid. Deut. 18: 15. Ebr. 2: 11.)  
*requiram animam hominis*, h. e. prioris Adami  
 & omnium qui in eo peccarunt: quia nimi-  
 rum utrique illi, & Judæi & gentes, lytro isti  
 solvendo forent impares. Quo sensu ibi præ-  
 cedentibus quoque verbis v. i. sqq. *Bestias* de-  
 signare gentes, Israëliti subjiciendas, explicat,  
 eique expositioni etiam quod subsequitur,  
 congruere, ostendit Cl. DEUSINGIUS, *Comm.*  
*mystic. in Decal. p. 158.* Sed tamen inde non  
 conficitur, hoc loco *semen humanum*, quo *fer-*  
*rum & lutum* in pedibus digitisque Colossi hu-  
 jus cohærent, designare Judæos, sub Cyro &  
 Dario, *in sede & terra exilii communi.* Nec  
 omnino verum est, Judæos jam ante Darii  
 obitum Cyro paruisse: (Nisi putet Autor, eos  
 tunc etiam in Persia exulasse; cum *Judæos ca-*  
*ptivos, communes Cyri & Darii* dicit *subditos, per*  
*omnes utriusque terras disseminatos*: id quod suo  
 nunc loco relinquo.) Quod enim, Metasthe-  
 nis forte autoritate nixus, (qui Darium & Cy-  
 rum simul regnasse scripsit,) hic supponit,  
 utrumque post occupatam Babyloniam hujus  
 fuisse Dominum, falsum est, & ipse contra  
 p. 21. 22. dicit, *Cyrum, Persam, reliqui Orientis*  
 man-

mansisse *Dominum*; *Darium vero*, ipsius *Cyri* arbitrio, tantisper *Babylonis*; ut inter illos convenerit. Nec plane verum est, quod postea dicit, occupata jam *Babylonia* *Cyri* potiore *rationem* præ *Dario*; quorum ille non deseruerit *Babyloniam*, *Dario* commendatam, sed superior manserit *Dominus*, a quo *Darius* dependeret: cum ex antiquis monumentis fide dignioribus certius utique colligatur, *Darium Medum*, qui & *Cyaxares*, nempe secundus, (*Cyaxaris* I. *Medorum* regis, quem *Daniel* C. 9: 1. *Assuerum* appellat, filium) *Cyri* fuisse avunculum & socerum, regem ante *Persarum*, qui, illo belli Duce usus contra *Patrum* suum (ipsiusque, secundum *Herodotum*, *Avum*) *Astyagem*, *Medorum* Regem, hujus regnum jam ante occupaverat, *Cyro* tum in precium laboris *Persiarum* regnum largitus: hujusdem postea virtute & ope *Babylonicum* etiam imperium acquisivit, quod deinceps, jure demum hæreditatis, ad *Cyrum*, ipsius generum, una cum *Mediarum* regno erat perventurum. Vid. *Joseph. L. X. Ant. Jud. C. 12.* (quanquam *Cl. Abel* l. d. p. 437. hæc paulo aliter concipiat.) Unde & *Dan. 5: 31.* occupatio regni *Chaldaici*, *Babylone* expugnata & *Belsazare* occiso, *Dario Medo* duntaxat tribuitur, *Cyro*, belli quamvis duce, ne quidem memorato. Conf. omnino *Dan. 6: 28.* (ex quo toto Capite etiam manifesto apparet, potiore utique *Darii* præ *Cyro* fuisse *rationem*, & *Medorum* tunc præ *Persis*.

Vid. v. 8. 12. 15. ut & C. 8: 28. contra quam Autor putat) nec non Efr. 1: 1. 2. ubi annus accepti post Darii obitum regni Babylonici ut & Medici, quo Judæi è servitute Babylonica liberati sunt, *Cyri primus* dicitur: qui de cetero tunc jam biennio ante, Darii nomine & opibus Babyloniam debellaverat, & Persiæ jam regnum XXIV. annis tenuerat. Quem admodum & ista ex ratione Xenophon Cyro, Asiæ totius Regis s. Monarchæ, annos imperii tantum VII. tribuit, etsi Canon Ptolomæi nos doceat, ab expugnato Babyloniorum imperio ad Cyri usque mortem annos IX. elapsos esse. Ut adeo pateat, Autorem non verba solum Danielis, sed ipsam quoque facti historiam, opus habuisse violente admodum contorquere ac pervertere, ut explicationi suæ, perbellæ sane, fidem, si pote, aliquam conciliaret, vel crura saltem & pedes Colossi, ferro quasi ocreatos, fuce lutoso, male tamen coherente, adspargeret aut pingeret.

En tibi vero novum hujus artis specimen p. 30. ubi scribit, *Lapidem advolutum pedes statue ferreos ac lutosos percussisse, quando Cyrus & Darius Dei providentia & instinctu commoti sunt, ut commune suum in Judæos extorres jugum remittere constituerent.* Comminutos autem ferreos ac luteos, pedes, illius Saxi advoluti contactu, cum animi illorum divinitus moti sunt, ut suum in Judæos jugum sponte laxarent ac remitterent. Qualia & p. 29. 31. scribit, *Vah! quam violenta hæc divini*

divini sermonis contorsio, quamque perversa & contra omnem historię fidem atque temporum rationem conficta ratio hæc est? Quid? num Judæi jam a Dario Medo, adeoque adhuc ante exactos plane LXX. Babylonicę servitutis annos, ex illa dimissi sunt? Annon illud testimonio Spiritus S. 2 Paral. 36: 21. 22. 23. manifesto contradicit? Et quid tibi, Christiane Lector, de ista *Crurum pedumque hujus Colossi percussorum, & simul ferri & luti, aris, argenti aurique, comminatorum, eorumque quasi stipularum, per ventum, sic, ut ne locus quidem eorum deprehenderetur, dissipatorum,* interpretatione videtur: quod nimirum hæc omnia Nebucadnezari jugi Babylonici diuturni solutionem vividius tantum atque operosius præsignaverint, quod sub *Cyro & Dario* expiraret ac velut evanesceret? p. 31. Anne hæc in illam rem & factum illud conveniunt? aut, si vel maxime, in eam convenire, nunc fingantur, num illa vim verborum omniumque circumstantiarum, hic memoratarum, vel aliquantulum exhauriunt? Sicine somnium hoc tam momentosum, verbaque tam graphica, quibus illud a Spiritu S. describitur, enervare fas est? Profecto verba nimis sunt multa atque magna, & ἐμβλήματα nimis insignia ac notabiliora, quam ut rem istam, etsi alioqui non quidem parvam, nec tamen ita per omnia gestam, (Dario enim mortuo demum Judæorum jugum a solo Cyro solutum est,) designarent. Quis, quæso, Autori

eredit, *Saxum* v. 34. *citra manuum opem advo-*  
*lutum*, (seu potius, *excisum*) התנזרת quod ipse  
 quoque postea v. 36. *precisum* aut *avulsum* red-  
 dit) *pedes statuae ferreos* ⲉⲗ *luteos percutiens* &c.  
 nihil figurasse aliud, quam *Dei providentiam* ⲉⲗ  
*instinctum*, quo *Cyrus* ⲉⲗ *Darius commovendi essent*  
 ad dimittendum *Judæos*. *Deus O. M.* quidem  
 Deut. 32: 4. Ps. 18: 3. & alibi צור *rupes* s. *pe-*  
*tra* dicitur: quod ejus *promissiones sint immote*  
*praesidiumque firmum*, in quem *fiducia inconcussa*, cui  
*tuto se committere liceat*: fateor. Sed hic non  
*petra*, sed *lapis*, אבן *excisus de petra*, מטורא (quod  
 ex v. 45. hic subaudiendum: Unde & græca  
 τῶν ὁ versio illud hic addit) memoratur, qui  
 percusserit *pedes*. Qui adeo *lapis*, quodve *sa-*  
*xum*, nullus est alius, quam *Christus*, a *monte*,  
 h. e. *politia*, *populi Judaici excisus* s. *sublatus* è  
 medio *populi*, & *morte affectus*, ceu *impius*.  
 Conf. *Esa.* 53: 8. *Dan.* 9: 24. (*Regna enim* &  
*respublicæ ac populi*, *montibus* in *Scripturis*  
*comparari passim solent*: ut *regnum Babylo-*  
*nicum*, *Jer.* 51: 25. & *Persicum*, *Zach.* 4: 6.  
 Conf. *Apoc.* 8: 8. cum d. *Jer.* 51: 25. & *Matth.*  
 21: 21. *Christus enim est lapis ille Israël*,  
*Testis est Jacobus*, *Gen.* 49: 24. *Esa.* 28: 16.  
*Zach.* 3: 9. *Testis vel imprimis est Davides*,  
*Psal.* 118: 22. ubi ille *lapis* dicitur *spretus ab ar-*  
*chitectis*, *qui caput factus est anguli*: quam *sen-*  
*tentiam non Petrus solum*, *Act.* 4: 10. sed &  
 ipse *Dominus*, *Matth.* 21: 42. in ipsum dictam  
 testatur. Qui *lapis* etiam *regno suo* (quod  
 iti.

itidem *mons* dicitur, capiti aliorum montium  
 s. regnorum quasi superimpositus, vel super-  
 imponendus tempore novissimo, (Esa. 2: 2.)  
 totam terram implet. Vid. Ps. 24: 1.

Fingamus etiam, lapidem hic *Deum*, ejusve  
 providentiam & instinctum referre; sed quid tum  
 de eo fiet, quod v. 35. sequitur, *saxum illud*,  
 quod *Colossum* fregerat, excrevisse in montem excel-  
 sum, qui totam repletet terram? Hoc Autor, suæ  
 serviens hypothese, eo torquere cogitur, p.  
 2. quod *Ecclesia Judaica*, restituta, illa tandem  
 sumtura esset incrementa, - - ut ejus gloria omnem  
 superaret non solum jugi molestiam, sed & regum  
 quondam superiorum majestatem. At vero, num  
*saxum*, quod Vir Cl. ante interpretabatur  
*Deum*, ejusve providentiam & instinctum, nunc,  
 mutata rursus scena, est ecclesia Judaica? Ita  
 quidlibet facere novit ex quolibet. At, per-  
 git, *saxum* crescere dicitur, cum divina promissio  
 (hujus potius implementum s. adimplerionem in-  
 telligere Cl. Autor voluit: quæ vero jam no-  
 va rursus, eaque tertia vel quarta, ipsi est sa-  
 xi, mire *quovis*, significatio,) in gente crescit,  
 sive magna vi emergit cum omni fortuna divinitus  
 promissæ incremento. Quæ divina gratiæ incre-  
 menta (nescio, an hæc alia denuo, eaque quin-  
 ta forte, istius saxi debeat esse significatio,) e-  
 eousque sensit aucta, ut ingens inde assurgeret mons.  
 Qui montis *Moriæ* index proximus, in quo *Ecclesia*  
 quondam hæssisset, qui post longam desolationem cum  
 majori gloria restaurandus esset. Quæ designatio

*universæ rei sacre restauranda.* At deinde p. 36.  
 explicaturus, quod v. 43. dicitur, *Lapidem istum*  
*de monte ante excisum fuisse,* scribit: *Illas polli-*  
*citationes salutis ex ecclesiæ quondam sinu proma-*  
*nasse, per Jeremiam, puta, & Ezechielem palam pro-*  
*mulgatas, Quare ex monte Sacro, Moria, ecclesiæ*  
*veteri sede, olim profectas promissiones, quæ instar*  
*saxi ex monte & templo destructo s. ecclesiæ concus-*  
*sa, præcise aut avulse, in involucris Jeremiæ serva-*  
*tas, & ad finem babilonici regni, ad pedes Colossi,*  
*devolutas, aut propagatas esse. Cujus verbi divi-*  
*ni, tanquam saxi, virtute pessundarentur tandem*  
*Babilonii, ecclesiæ salva.* Hic montem *Moria,*  
 quem antea p. 32. dixerat indigitari per mon-  
 tem illum, qui e *Saxo*, a *Monte* avulso, demum  
 excresceret, facit illum ipsum etiam mon-  
 tem, a quo avulsum istud *Saxum* fuisse memo-  
 ratur. Quomodo vero idem potest esse rei  
 terminus a quo, ut ajunt & ad quem? Materia  
 simul, & quod ex illa demum fiat? Certe apud  
 Danielem prorsus differt *Mons* ille a quo exci-  
 sus dicitur lapis, v. 34. & *mons iste, in quem ex-*  
 crevit hicce lapis, a priori monte excisus, v.  
 38. Annon igitur hæc etiam in interpreta-  
 tione oportet esse atque manere distincta? Ta-  
 ceo, quod vocem התגורת jam *advolutum*, jam  
*præcisum* aut *avulsum* interpretetur; (quorum  
 prius plane alienum est, & inconueniens)  
 quodque montem replere totam terram, ipsi sit,  
 remotiorum etiam spectatorum oculos incurrere,  
 ejusque celebritatem ac venerationem remanere per  
 dissi-

*diffitas regiones, dum eam admirentur exteri. &c.*  
 Quæ quam contorta & coacta sint omnia,  
 quamque male cohæreant, nemo non videt.  
 Illud non taceo, quod hic jam p. 36. *Baby-*  
*lonios, vi Saxi, a monte excisi, & colossi pedes per-*  
*cutientis, pessundandos dicit; cum contra supe-*  
*rius p. 31. percussione istam pedum, & ferri, luti*  
*&c. comminutionem, non nisi ad solutum longum*  
*LXX. annorum exilium, jugumque babilonicum,*  
*retulerit Vir Cl., ut cujus istis verbis luculenta*  
*detur descriptio. Quod si dixerit, se ibi divi-*  
*nam tantum vindictam, a Nebucadnezare ejusque*  
*posteris sumendam, intelligere; ut ex fine p. 35.*  
*& initio p. 36. colligo; Respondeo, illam uti-*  
*que jam biennio ante solutam a Cyro Judæo-*  
*rum captivitatem exercitam, Babylonia a Da-*  
*rio Medo occupata, eamque ex ipsiusmet Au-*  
*toris sententia, jam, supra successione regni*  
*quarti s. ferrei in locum tertii s. ænei, fuisse in-*  
*dicatam: quid igitur opus fuisset, hic eam po-*  
*stremo iterum loco indicare, alioque rursus*  
*emblemate pingere, si nihil per ea significare-*  
*tur aliud? Et, annon supra p. 30. suo loco, cum*  
*percussione pedum, tum & comminutionem metal-*  
*lorum tantum exposuerat, de Commotione Cyri &*  
*Darii, ut commune suum in Judæos extorres jugum*  
*remittere constituerent. Ita ut animi istorum re-*  
*gum divinitus moti, ut suum in Judæos jugum sponte*  
*laxarent. Hic vero ita nunc loquitur, quasi*  
*per ipsum jam excidium posteritatis Nebucad-*  
*nezaris, & Babyloniæ occupationem, a Dario*

Medo factam, Judæi statim libertati fuerint restituti. Quod vero non ita esse, constat, & ipse Autor supra fassus est. Sed & hoc manifesto falsum, ac, pene dixerim, ridiculum, quod *Danielem v. 44, Judæorum in patriam reditum, cultus purioris redintegrationem, gloriæ incrementa, doctrinæ melioris & sanctioris famam in immensum augendam, hac magnifica illustrasse oratione, scribit: Illorum Regum (Cyri & Darii) tempore Deus resuscitabit regnum, quod nunquam delendum, quod imperium alteri populo non concedendum: quod comminuet & conteret omnia illa regna, durabitque in perpetuum. Ecclesiæ hæc est Judaicæ immunitas ab ultimis injuriis & diris exitiis Babyloniorum. &c.* Quis, obsecro, vel fando talia comperit? tam illustre & magnificum Oraculum, verbis tam graphicis a Spiritu S. descriptum ita eludere, & quia nec rei eventus id vel alio quodam modo comprobavit, hominibus Atheis & Scripturæ irrisoribus indignissimis modis deridendum propinare? Hoc sine Christiani est? Itane persuadere Tibimet ipse potuisti Vir Cl. te Spiritus S. mentem in his recte percepisse, aut in timore Jehovæ, ut Christianum decet interpretem, in illustris hujus visi explicatione esse versatum? Quid hic dicam, nescio. Nuper addubitabam, (ad v. 33.) num hic ingenium magis tuum ostentare, quam veram animi tui sententiam dicere volueris: jam ista mihi suspicio vel invito rursus incidit: & (ut bona tua cum venia mentis meæ sensum

sum aperiā) triste mihi in te videre videor exemplum, quid non designet perpetua illa novaturiendi intemperies, & quomodo illa oculos mentis etiam perspicacissimorum tam densis obfuscare possit nebulis, ut non solum clarissima non videant, sed & stolidissima cerebri phantasmata, vel aliorum, vel sua etiam, pro veris sani rectique iudicii fœtibus habeant & amplectantur. Cujus exempla jam olim in magno illo Grotio, aliisque, orbis vidit, & ecclesia luxit, quam plurima. Veniam dabis Cl. Vir, quod justo sane dolori hic paulisper indulserim, nec ei parcere, mihi temperare, prorsus valuerim, quin ipsi (quod & alias ab aliis jam dudum sibi factum novit) injuriam publicam, sermoni divino illatam, animo non malo hic exprobrarem, mentemque tuam consciam, hæc, ut spero, non sine rubore agnituram, simul appellarem. Qua, quæso, veritate, imo qua veri specie, vel minima, affirmari potest, *tempore jam Cyri & Darii Medii, Deum Judæis resuscitare voluisse regnum nunquam delendum, quod alteri populo non concedendum, quod comminuturum esset & contriturum omnia regna sibi adversa, & in perpetuum duraturum?* Prædicatum hoc non aliud Subjectum (ut Scholæ loquuntur) indicat, aut intelligi permittit, quam mons s. regnum Christi, Vid. Esa. 2: 2. ad dextram Dei Patris jam exaltati, cui omnia a Patre sunt tradita, & qui regni sui gradus singulis seculis promovet, Esa. 66: 23. donec, regnis adversis omnibus submotis, (Esa. 60: 12.

60:12.) imperium obtinet in omnia, 1. Cor. 15:24. nullis seculorum finibus circumscriptum aut terminandum. Luc. 1:33. Pl. 93. Ebr. 1:2. C. 12:27. sq. Apoc. 1:15. 17. coll. C. 10:7. quo postremo loco idem illud, ut novissimo tempore consummandum, tam graphice describitur. Quod & fit Dan. 7:9. sqq. v. 13. 14. 18. 22. 26. 27. coll. Apoc. 20:10. fs. C. 21:1. sqq. Quis vero nescit, ne templum quidem, nedum ipsam urbem Hierosolymam. Darii Medi vel Cyri tempore esse restauratum; imo illo regnante necdum quidem permissum, ejusmodi quid suscipere? Quem fugit, longe demum post, Dario nimirum, vel Hystaspide vel Notho, rege, intermissam à Cyri tempore vel solius templi ædificationem resumtam & tandem absolutam? Vid. Ebr. 4:5. sqq. Cui denique latet, urbem Hieros. sub Artaxerxe demum Longimano e cineribus quasi resuscitatam quidem, sed ex illo tempore Judæos, non regnum, sed rempublicam duntaxat, eamque variis tempestatum fluctibus jactatam & misere vexatam, habuisse; religione quoque indies magis obscurata & in pejus ruente. Et quanquam Assamonæi Duces nomen sibi & diadema regium aliquamdiu sumere & usurpare voluerint, illud tamen brevi eis rursus ademptum, ipsosque Judæos politia eorum post occisum ab iis Christum à Romanis everfa, in omnes terrarum angulos dispersos esse, & in hunc usque diem manere? Annon vero Christi-

stus d. Matth. 21: 43. Judæis interminatus est, *regnum Dei* (si illud forte hic intelligi à Daniele, velit Autor) ab ipsis Filii Dei percussoribus auferendum & alii genti tradendum; cum hic contra Daniel *regnum nunquam delendum*, nec alteri unquam genti concedendum, describat. Ut nunc taceam, tantum abesse, ut *regnum Judæorum* in perpetuum duraverit, & omnia regna sibi adversaria contriverit, ut potius *mons politia ipsorum igne iræ celestis quasi flagrans, in mare gentium projectus* & prorsus dissipatus absorptusque sit: secundum Visionem Joannis, Apoc. 8: 8.

Restat jam, ut communem & veram de hoc Nebucadnezaris Somnio, a Daniele exposito, sententiam hic exponam: sed, cum hæc dissertatio jam præter spem excreverit, id alii forsan tempori & loco reservabitur.

Vita (a)  
**ALBERTI FELDENII,**  
 Theologi Kiloniensis.

**A**LBERTUS ;um FELDE natus est die IX. Septembris anno c10 c10 LXXV. HAMBURGI, in quam urbem mater eius ILSA ROLAPPIA bellicis motibus, qui tum in vicina regione Bremensi exorti erant, compulsa transierat. Ibi igitur HEINONEM FELDENIVM, tum temporis in

(a) Excerpti haec ex programmate, quo Prorector & Senatus Academiae Kiloniensis postridie Kal. Jan. hujus anni, quo illius exuviae Bordsesholmiam delatae sunt, funus pereximii hujus, mihiq̄ue amicissimi Viri indixerunt. Vocant in eo *Theologum rarum & insignis doctrinae, cujus & vitae ratio ubique concinebat, ut praeciperet nihil, quod non vivendo exprimeret; Sacrum Oratorem, quo vix alius in explicandis divinis oraculis illustrior fuit, docendo perspicuum, probando expeditum, flectendo acrem & efficacem. Philosophum subtilem & exquisitum, qui vanas, quae ubique excitantur lites, & discerneret facile, & scopulos prudenter evitaret. Appellat diviniorei coetus lumen & veluti cynosuram, Academiae praecipuum ornamentum, studiosae Juventutis Doctorem, in quo quidquid probitatis, ingenii, solidaeque eruditionis reperiri apud doctentem potest, discentes admirabantur. Quibus nihil tam praeclare dici, quin ejus virtutes id merita fuerint, testantur omnes, quibus eum noscere propius, datum fuit. T. d. H.*

in districtu Kedingensi Secretarium, huius sui filii parentem fecit. Auus paternus erat ALBERTVS, proauus IOHANNES zum FELDEN / viri munerum fideique amplitudine & auctoritate in eadem regione satis conspicui. Auus maternus ANGELVS, proauus MATTHAEVS ROLAPPIVS, vrbis Buxtehudensis Secretarius fuit, qui pariter apud suos magno semper in honore vixerunt. Patrens, post illa tempora, quod & aui munus fuerat, constitutus est iudex in agro veteris regionis, quam amoenissimum tractum Chytraeus in Saxonia vocat. Atque ille, cum prompta in filio indoles mature eniteret, paulo serius quidem, anno nimirum aetatis decimo, eorum tamen fidei filium commisit, qui cum alacre ingenium inuenirent, plus sua diligentia breuiori tempore, quam alii longiori efficerent. Praesertim GEORGIUS BVSCHIVS, vir disciplinae scholasticae peritissimus, prima illi pietatis & optimarum artium initia & fundamenta instillauit. Accessit deinceps aliorum magistrorum opera, qui cum optimaefrugis semina insererent, facile impetrarunt, vt quod a natura egregium contigerat ingenium, pulchrioribus in dies suae praestantiae indiciis emicaret. Anno MDCCXCI in Hamburgense Gymnasium missus est ad linguas orientales & philosophiam excolendam, quo tempore in Hebraicis, praesertim Rabbinicis ESDRAM EDZARDVM, diligenter se-

Status

etatus est, & cum illo THEODORVM AN-  
 CKELMANNVM, linguae Hebraicae profes-  
 forem. Praeterea magistros habuit in grae-  
 cis & historicis GEORGIVM ELIESEREM  
 EDZARDVM, in disciplina morum VIN-  
 GENTIVM PLACCIVM, in Logicis IOA-  
 CHIMVM VAGETIVM, & GERHARDVM  
 MEIERVM, in physicis DANIELEM BVT-  
 NERVM, sub quo anno cio 10cxciii. de ma-  
 gia publice disputavit. Sic biennio Hambur-  
 gi commoratus Lipsiam concessit, ADAM  
 RECHENBERGII imprimis & THOMAE  
 ITTIGII institutione in historia ecclesiastica  
 vsus, simulque de eo sollicitus, vt eloquen-  
 tiam linguae latinae & germanicae ple-  
 nius acquireret. Inter theologos IOAN-  
 NEM OLEARIVM adiit. Anno cio 10cxciv  
 Vittebergam abiit circa ferias Paschatos, ibi-  
 demque CASPAREM LOESCHERVM &  
 PHILIPPVM LVDOVICVM HANNEKE-  
 NIVM, studii duces sibi elegit. THEODO-  
 RI DASSOVII conuictu & institutione Rab-  
 binica priuata vsus est, qui Iarchi Leuiticum  
 interpretabatur. At maximo cum fructu  
 graecis & criticis amoenitatibus captus, ab  
 ore magni viri CONRADI SAMVELIS  
 SCHVRZFLEISCHII assidue pependit, quaru  
 deinceps litterarum amor toto vitae tempore  
 perduravit. Itaque post obitum autem pa-  
 rentis in patriam anno cio 10cxcv. rediit, &  
 Stadae apud matrem aliquamdiu commora-  
 tus

tus domi studiis suis consuluit, non parum praeterea insigni beneuolentia IOANNIS DIECMANNI, supremi sacrorum in ea vrbe antistitis adiutus. Aestate anni subsequenti Hamburgum secessit, laudato supra EDZARDO iterum in disciplinam se traditurus, & publicas bibliothecas, quas Hamburgum egregias habet, tanquam locupletissimos eruditionis thesauros perlustraturus. Dimidii anni spatio, heic loci commoratus ob domesticas rationes ad suos reuocatus, vixit apud matruellem ruri, semotus, quae ipsius verba sunt, ab omni strepitu impedimentisque vltra annum. Quod ipsam diuinis auspiciis contigisse, sibi que in meliorem partem cessisse, ingenua & grata eius confessio est. Ex hoc otio suo cum nouas acquisisset vires, praeter opinionem euenit, vt anno cio ioc xcviii. adultiore aestate Kilonium transeundi potestas daretur. Atque hic CHRISTOPHORI FRANKII & HENRICI MVHLII auspicio ductuque tantos fecit progressus, quantos par erat, in illa vrbe facere, cui olim ipse inseruiturus solidiori sua scientia esset. Quod euidenter apparuit, cum sub venerandi MVHLII praesidio de *apodixi scripturae sacrae* magno cum applausu disputaret. Anno cio ioc xcix. dirigendis studiis & moribus generosi iuuenis ab Ahlesfeld praefectus ruri iterum in praedio Osteradensi vixit, & vt solent interdum eruditissimorum virorum opiniones discrepare,

dialogum Iustini martyris vindicatum, sententiae celeberrimi Christiani Gottliebii Kochii, qui tum temporis in eadem hac academia magna cum laude degebat, opposuit. Ad illud usque tempus disciplinis artium Mathematicam coniunxerat, in qua ab ipso parente, Hamburgi a Bussingio, Vittenbergae a Knorio & Vagetio instructus fuerat, sub quo postremo, qui professoris Göttingensis & Giesfensis dignitatem postea sustinebat, bis de *quadrato magico pari & impari* disputavit. Verum aliis nunc studiis addictus, illis quidem ulterius vacare in praesenti statu vix poterat. Anno MDCCC. Kilonium reuertit, & mox Slesuici in aedibus magnifici MVHLII vixit, cuius summam benevolentiam & institutionem veluti omnes, qui experiuntur, certatim laudant, ita & noster inter maximas excultius sacri studii causas retulit. Ab illo enim quidquid in explanandis diuinorum vatum oraculis subsidii & ornamenti est, cumulate hausit, ut reconditas magis interpretandi leges rite assequeretur & mira deinceps arte sequeretur. Patebat & ipsi tunc temporis aditus ad selectissimam bibliothecam Gottorpinam, in qualem locum se abdere & libris circumfusum rariora auctorum monumenta excutere posse, non postrema discipulorum felicitas est. Anno MDCCCII. iterum praeside laudato MVHLIO disputationem *de fato duorum testium in apocalypsi* publicae disquisitioni subie-


subiecit, & quibusdam deinceps itineribus se commisit, donec anno c10 1000iv. Tönnin- gam adobeundum sacrum Pastoris munus in templo oppidano vocaretur. Sed post quin- quennium anno c10 1000ix. academiae Kiliensi redditus est, & theologiae, logices & meta- physices professor declaratus. Quam pro- uinciam eleganti oratione de *primorum eccle- siae doctorum ratione docendi theologiam* die X. Maii auspicatus est. Accessit anno c10 1000xii. munus Pastoris primarii in aede diui Nicolai: siquidem omnium iudicio constabat, nulla esse tam ampla, & magna munera, quin in ma- iorem virum inciderent. Atque hic dici non potest, quam omnium hominum studia ani- mosque in se conuerterit, quam omni aetati, ordini, summis, mediis & infimis suam com- modauerit operam, & vel in litteris vel mori- bus cultiores melioresque efficere contenderit.

Nec publice ita egregie prodesse reuult, sed qui sibi gloriae & posteris vsui essent, poli- tissimos & lectione dignissimos libros in lucem emisit, inter quos *disputationes de simplicitate theologiae, de enallage scripturae sacrae, de sale insulso Pontificiorum, item schediasma de subscri- ptionibus theologicis, stricturae anti-Bossuetianae, institutiones theologiae moralis, analecta disquisitio- num sacrarum & litterarum, politica sacra, seu commentarius de iure Dei eiusque legibus* alii- que in publicas eruditorum manus exierunt. Ex iis, quae manu scripta & ex parte non- dum

dum completa privatis scriniis asseruantur, sunt altera pars analectorum disquisitionum sacrarum, opus anti-Pontificium, historia critica theologiae moralis, & commentarius de notionibus moralibus novi foederis dissertationes de obfignatione & sanctificatione Christi, & pauca quaedam alia. Omnes qui norunt, minime vulgares ingenii & industriae eius fructus esse, vehementer optant, ut vltima lima ipsius auctoris manu admoueri his scriptis potuisset.

Matrimonium cum matrona sui sexus virtutibus instructissima MARGARETA, DIETERICI MVHLII, mercatoris Bremensis florentissimi filia quae celeberrimum Virum HENRICVM MVHLIVM agnoscit Fratrem, anno c10 1000. contraxit. Exegit inter castissimi amoris certamina decem fere & octo annos, X. liberorum pater, ex quibus cum tribus filiabus unicus superstes est filius *Johannes Albertus*. Varios morborum impetus per totum fere quadriennium nunc graviores, nunc leviores sustinuit, sed eos juxta & gravissimos labores, quos exantlandos habuit, placida mors, expletis aetatis annis XLV. mensibus III. diebus XVIII. terminavit, die VI. Kal. Januarii hujus anni. Qui adstiterunt morienti, praedicare satis non possunt, quam in vltimo etiam vitae articulo mentis compos fuerit, quam contemserit res humanas, qua suavitate vocis gratias egerit praesentibus pro quovis sibi

sibi praestito officio, iusseritque, generose abstinere a laudationibus funebribus, & tumulo inscribere nihil quam haec verba: OSSA ALBERTI FELDENII HIC LAETAM RESVRRECTIONEM EXPECTANT. Egregia sane verba! quibus etiam Iosephus Scaliger & Iohannes Wewerius omni verborum ambitione relegata vsi, ideoque ob singularem modestiam & pietatem in Deum collaudati sunt. Tanto autem lubentius ad illa Feldeniani tumuli verba subsistimus, quanto evidentius testantur, quam queta in suo discessu anima, & quibus instructa solatiis fuerit.



VI.

*Eilhardi Folcarthi HAR-*  
*CKENROHTII,*  
*Ecclesiastae Emdensis,*

ad

*THEODORVM HASAEVM*  
*Epistola.*

ARGUMENTUM.

Ubbonis Emmii vita Mensonis Altingii. Epistola Herbor-  
nensium de M. Martino. Septem phialae apocalyp-  
ticae.

cae. M. *Vaezei*. MARTINUS FABER. Albertus Hardenbergius. Coloniensis reformatio tentata à Bucero. Hujus testamentum. Martini FABRI varii labores, munera, mors, epitaphium. Alius Martinus Faber. Inscriptio templi novi Emdensis. HADRIANVS VI. Papa. Qui fuerint ejus parentes, quae familia, ubi studiis operam dedit. Paedagogia Lovaniensia. Domus Standonica.

Viro Clarissimo, admodum Reverendo atque Doctissimo D. *Theodoro Hasaeo*, apprecatur *E. F. Harckenroht* χαίρειν καὶ ἐὺ πρῶττεν.

**U**T meis promissis stem, Clar. Vir, librum (a) manuscriptum *Ubbonis Emmii* de vita & gestis Venerabilis in Christo Patris *Mensonis Altingii* non sine comite epistola ad te mittere volui & hac occasione significare nonnulla, quae in fasciculis tuis offendi.

In Fasciculo III. Class. IV. p. 598. mentionem facis & sistis epistolam *Johannis Buxtorffii* Profess. ad *Matthæum Martinium Basileæ* 1606. d. 4. Septembr. exaratam, hac occasione transmitto (b) epistolam lectu non indignam, saltem meo judicio, quod sentio esse exiguum, ex qua patet quibus rationibus *Emdani* dimissionem *Martini* expugnarunt, & quam illubenti animo *Schola Herborensis* eum dimiserit.

(a) Dignus utique, qui typis exscriptus evulgetur.

(b) Et haec locum suo tempore in hac epistola inveniet.

In eodem Fasciculo p. 596. Clar. Frid. Lam-  
pius asserit Clar. Ruardo ab Andala peculiare  
esse, quod septem phialas parallelas septem  
epistolis, Sigillis & Tubis facit. Eadem vesti-  
gia jam meo tempore in Academiis Gronin-  
gana & Franequerana pressit, Vir Doctissimus,  
mihi non ignotus Stephanus M. Veczei, Unga-  
rus, in analytica sua *ωδφεγοει* 1690. Fra-  
nequerae apud Joh. Gyselaar typis expressa ubi  
p. 62. rationum ponderibus asserere conatur  
sententiam suam. Hic Veczei idem ille autor  
est, qui Hierozoicon Bocharti contractum  
edidit in 4to.

In Fasciculo Vto Class. IV. p. 919. tu Cla-  
riff. Vir, conjicis, quod *Martinus* ille in episto-  
la Lutheri ibi memoratus fuerit *Martinus Bu-  
cerus*, (c) ast ego alium non sine ratione suspi-  
cor Martinum illum fuisse, scilicet *Martinus  
Faber* apud nostrates famigeratissimus quon-  
dam Theologus, qui NB. per Sexennium Lu-  
theri & Melanchtonis discipulus fuit, hinc in  
dicta epistola vocatus *MEUS Martinus* & qui-  
dem si *QUID PECCET*, ipsi vult obsistere, il-  
la mihi videntur magis quadrare discipulo  
& studioso, quam Bucero, qui non nescio Lu-  
thero tum absens erat, quum Lutherus hanc  
epistolam scriberet 1541. d. 20. Julii ad Capi-  
tonem. Ut autem scias quis, qualis & quan-  
tus fuerit hicce *Martinus Faber*, lege Emmium

H 4 in

(c) Grato animo agnosco, quod me haec monere vo-  
luit Cl. Harkenrothius.

in vita Altingii p. m. 58. & quæ Cancellarius  
 noster *Breneisen* in nupera sua *Ostfriesische His-*  
*torie* Tom. I. Lib. VIII. N. 42. p. 396. scripsit,  
 quibus addo, quod E. F. à Wigt in annalibus  
 manuscriptis p. m. 298. dicit; eum mortuum  
 anno ætatis 73, aſt Ampliff. Cancellarius re-  
 ctius anno æt. 75. die 26. Decembris 1588.  
 expiraviſſe ſcribit. Natus itaque fuit a. 1513.  
 Aloſti urbe Comitatus Flandriæ, hinc & *Alo-*  
*ſtanus* cognominatus; Bucero accreſcentibus  
 annis fuit perfamiliaris. Nam quum Anno  
 Domini 1541. Albertus Hardenbergius per  
 literas Epifcopi Monafterienſis è Cœnobio  
 Adoardiano evocatus eſſet Bonnam, & in fi-  
 dem Electoris Archie-Epiſcopi Coloniensis  
 Dom. Hermanni à Weda (Monafterienſis  
 Epifcopi Fratris) tranſiſſet, ejus ut & Petri  
 Medmanni aliorumque ſuaſu, Martinus Buce-  
 rus ad inchoandam reformationem in dioe-  
 ceſi Coloniensi ab Archie-Epiſcopo adſciſci-  
 tur, qui & cum Philippo Melanchtone ordinem  
*Eccleſiaſticum in puncto cœnæ Helvetiis con-*  
*ſonum adornarunt* 1543. quod magnopere  
 diſplicuit Luthero, teſte Perizonio in rebus  
 geſtis Seculi XVI. p. m. 293. Eodem tempo-  
 re & noſter Martinus Faber Bonnæ Paſtor con-  
 ſtitutus, in eadem functione perſeveravit us-  
 que ad annum 1547. quo anno exautoratus  
 fuit Archie-Epiſcopus, quo factò etiam mini-  
 ſtri noviter conſtituti ſolum vertere coacti, &  
 ſicut Hardenbergus, è conſiliis potiffimum  
 Chri-

Christophori Comitis ab Oldenburg, tum  
Bremam in Ministerium fuit vocatus, sic &  
Bucerus & noster Martinus Faber Argentora-  
tum proficiscuntur, ubi Faber ad Diaconatum  
templi St. Nicolao dicati promovetur, ut li-  
quet ex subscriptione Testamenti, quod Mar-  
tinus Bucerus Argentorati 1548. die 23. Jan.  
cudi curavit, nomina subscribentium hoc or-  
dine recensentur.

Johannes *Marbachius*, S. S. Theol. Doctor.

Conradus *Snel*, Pastor ad D. Thomam.

Conradus *Humbertus*, Diaconus Eccles. Tho-  
manæ.

Hieronymus *Poppius*, Canonicus Ecclesiæ  
ejusdem.

Martinus *Faber*, Diaconus ad D. Nicolaum.

Matthias *Ritter*, Francofurtensis ad Mœnum.

Eusebius *Bedrottus*, ut videre est ex iis, quæ  
Scriptis Anglicanis Buceri præfixa sunt,  
ubi nonnulla verba ex illo Testamento  
excerpuntur.

Et quum eodem tempore piissimus Eduar-  
dus, Angliæ Rex, Reformationem in regno suo  
institueret, Bucerus Argentorato evocatur,  
cui iterum noster Martinus Faber fidelissime  
adhæsit, ast mortuo Bucero exeunte Februa-  
rio 1551. per Johannem à Lasco Generosissi-  
mæ Annæ Comitissæ ab Oldenburg, cum qua  
familiarissime literas eodem anno exaratas mis-  
cebat commendatus, 1551. *Hagam* in præ-

fectura Berumana ad pastorum evocatur.

In hac statione Hagana per annos 37. munus suum fidelissime obivit, etiam in controversiis Ecclesiasticis assopiendis non semel 1579. adhibitus. Inter collegas primo sui ministerii tempore habuit 1. *Hermannum Hameling*, 1554. & ad tempus aliquod in munere mutuatio, vulgo *Leendienst*. 2. *Christophorum Koning*, qui Johanni Ligario in Ministerio *Uphusi* 1560. successit, & 1566. In Hollandiam ut emissarius Pastor profectus, rediit 1567. Antwerpiam Em-dam, sed feliciore dein tempore denuo Antwerpiam petit, ubi anno 1573. obiit, siquidem tum vidua ejus cum duobus liberis Em-dam appulit. 3. *Johannem Antwerpiensem*, ab ipsius latere 1577. Nordam vocatum &c. Quum supra memorato die & anno mortuus fuit, funus ejus magna concomitante caterva etiam Aulicorum, in templum portabatur & in ejus honorem sequens epitaphium Lapidi sepulchrali incisum hodie existat.

*Haga tuum nomen Martinus ad aethera tollit*

*Officio & vita, nil nisi Theologus.*

*Orphanis commune bonum, viduisque & egenis*

*Nec non Captivis exulibusque piis.*

*Sanctus erat sermo, Sermonem vita probabat*

*Trilinguis pariter cultus ab ingenio.*

*Biblia callebat, velut Esdras, mente tenaci,*

*Hic tibi sit divus, Haga! memorque mane.*

Forte

Forte ex ejus descendentibus fuit *Martinus Faber* Senator Emdanus, arte non tantum ingeniosus Pictor, sed & Architecturæ callentissimus. Hinc ejus sub Auspiciis templum illud novum Emdæ, collectis civium exstructum, fuit, testante inscriptione prope Januas templi australes.

Soli

Deo Opt. Max.

Sacrum.

Ex liberali civium contri-

butione: afflicto quamvis patriæ statu

Templum hoc exstructum: jactis fundamentis die 25. Julii *Anni M. DC. XLIII.* & Opere perfecto: cultui divino dicatum. Anno *M. DC. XLVIII.* die VIII. Febr.

Architecto

*Mart. Fabro. Senat.*

Nosti, Cl. Vir, huc usque penitus incognitos fuisse veros natales Papæ Romani *ADRIANI Sexti*, *Ultrajectini*, in eo quidem omnes consentiunt, quod fuerit tenuioris fortunæ homo, aut, ut cum *Sleidano* loquar lib. III. ad ann. 1522. humili loco natus, ast quibus parentibus (a) & quo opificio familia sustentata

(a) *Onaphrius Panvinius* in catalogo SS. & additamentis ad *Platinam* Patrem ejus facit *Sericarium* (Graece dices *σερικῆς ὑφαντικῆς ὑφαντῆς*,) quem nuper *G. Arnoldus* & *J. J. Hottingerus* secuti sunt. *Andreas du Chesne* tapetarum sive aulaeorum opificem. *Verulamius* cerevisiæ coctorem. *Wagenfeilius* in

tata fuit, pro certo nemo asserere valuit, quantum ego quidem novi. Famigeratissimus D. Wilhelmus GOEREE in vernaculo suo libro *de kerkelyke en wereldlyke historie*, Amstelodami 1705. typis edito p. m. 476. non nullorum quidem sententias corrasit hisce verbis. *Adrianus de sesde een Man van Uytregt, die zyn studie binnen Leuven voltrokken had, naderhand Leermeester van Karel de Vyfde, maar wegen zyn geringe afkomst verscheidentlik te huis gebragt, want de eene heeft hem een Schuytemakers (b) zoon, andere een Wevers zoon, of ook een Brouwers zoon genoemt, ast certi nihil affirmat. Hoc ut certissimum asseveravit Clarissimus vestrâs Theologus & apud Emdanos in Ministerio Ecclesiastico pie defunctus 1574. die 18. Maji. Albertus Paermannus Ritzæus HARDENBERGIUS Transisulanus, qui propria manus suæ scriptione in principio libri, cui titulus, *Adriani Sexti Pontificis Magni Quaestiones*, in 8vo N. 73. in Bibliotheca nostra Consistoriali reperti, sequentia verba, totum hoc*

ne-

*Diff. de Rom. Pontificibus ex Germanorum gente creatis fuisse simul cerevisiarium & pannorum sericeorum textorem suspicatur. T. d. H.*

(b) Petrus ab Opmeer in opere Chronographico primus est, quantum scio, qui Patrem ejus *nauegum* appellat. Secutus est illum Valerius Andreae in Bibliotheca Belgica, illique subscripsit Petrus Bailius in Dictionario, quod ei praecipue fidem habendam esse putaret, qui accurate multumque in ejus res inquisiverit. T. d. H.

negotium explicantia, exaravit, scilicet :  
 „Testatur Hardenbergus, Sacro S. Theol. Do-  
 „ctor & Professor, hunc Papam Hadrianum  
 „fuisse cognatum suum, quod Lovanii certis-  
 „simis testimoniis probavit. Fuit autem Papa  
 „hic filius cujusdam Flori (c) viri depaupe-  
 „rati in *Dalssen*, pago inter Hardenbergam  
 „& *Zwollam*, qui Trajectum proficiscens di-  
 „dicit artem faciendi & formandi Sellas & Sa-  
 „gittas & fusos ac similia Utensilia & factus  
 „est nuntius seu Minister Societatis Sellario-  
 „rum, van der Stoeldrejer gilde: Hadrianus  
 „autem pauper Adolescens sed ingeniosus (d)  
 puer

(c) Verum nomen fuit *Florus* vel *Florentius Boysen* teste *Andrea*, cujus nomen sibi adsumsit pro more illius aetatis, qui etiamnum in *Frisia*, & *Iutlandia* obtinet, noster *Hadrianus*, dictus in juventute *Hadrianus Florentii*. Matrem ejus aliis ignoratam *Gertrudem* vocat *Opmeerius*. *Paulus Jovius*, qui vitam ejus singulari libro complexus est, ususque ejus amicitia, cum viveret, *Hadriano*, scribit pater fuit *Florentius*, qui familiae nomen tulerat, vir animi probitate & civili industria potius, quam honestis opibus insignis. T. d. H.

(d) Antequam *Lovanium* abiit, institutione *Syvollis* usus est *Antonii Liberi*, *Susatensis*, qui illa aetate *Campis*, *Alcmariae* & *Amstelodami* juventutem scholasticam erudiebat, & fides habenda *Hamelmanno* in opusculis pag. 340. ubi tamen eum quoque errorem errat, quem summis Viris, in iisque etiam *Morhofio* excidisse miror, nimirum huic *Hadriano* deberi libros de *sermone Latino*, & *modis Latine loquendi*, quorum tamen auctorem esse *Hadrianum*,

„puer admodum, pervenit Lovanium ubi  
 „enutritus est (e) in Domo Sancti Anto-  
 nii.

num, Cornettensem, Cardinalem tit. S. Chryfoga-  
 ni, nostro, qui titulum gessit Cardinalis Presbyteri  
 SS. Johannis & Pauli, coevum, magis constat,  
 quam, quis hujus fuerit vitae exitus, qui ubi per-  
 venerit ab a. 1517. quo metu Leonis X. clam Ro-  
 ma aufugerat, explorare nemo potuit. T. d. H.  
 (e) Paulo aliter Paulus Jovius in vita p. m. 222. Ita-  
 que Lovanium missus impetravit, ut in collegio Portio-  
 rum gratuito aleretur. Sunt enim in eo celebri Gym-  
 nasio quatuor collegia disciplinarum omnium Doctoribus  
 referta, Liliium scilicet, Falconium, Castrense & Por-  
 tium, in quibus vetere instituto, honestis atque ingenuis,  
 quos egestas presserit in aliquot annos ad capiendum in-  
 genii cultum alimenta publice praebentur. Sunt in  
 hac enarratione nonnulla minus accurata. Nam (1)  
 non scribendum erat Portium, sed Porcium vel Por-  
 ci, ita dictum, quod situm esset è regione Porci syl-  
 vestris, teste Andrea in fastis Lovaniensibus p. m.  
 260. Sed & (2) deinde collegia vocat, quae di-  
 cenda fuissent paedagogica, quae a collegiis Lovanii  
 plane diversa sunt. Audiamus Lipsium in Lovanii  
 descriptione L. III. c. 4. Praeter locum, qui publicis  
 auditionibus servit sunt Paedagogia quatuor, ubi stri-  
 ctior disciplina, & pueri atque adolescentes in primis  
 artibus ac philosophia instituuntur. Sunt ea; Liliium,  
 Falco, Castrum, Porcus, ita enim nomina ab insigni-  
 bus suis habent. Ab his autem diversa sunt collegia,  
 in quibus eminent Buslidianum, Theologicum, Pon-  
 tificium sive Hadriani, quod ab ipso hoc Papa consti-  
 tutum dotatumque fuit, cum plurimis aliis, quo-  
 rum bene longum catalogum in fastis suis Lovani-  
 ensibus exhibet Valerius Andreae. Liceat ex illis,  
 cum in paucissimorum manibus sint, excerpere in-  
 scri.

„nii. (f) Postea ad Papatum grassatus est &  
 „resumfit arma & insignia veteris nostræ fami-  
 „liæ, (g) duos piscales hamos & duos Leones

coro-

scriptionem in dicto collegio imagini ejus apposi-  
 tum haud alibi obviam.

*Patere & abstinere.*

*ADRIANUS VI. Pont. Max. ex Trajecto insigni  
 Germaniae inferioris urbe. Qui dum rerum humana-  
 rum maxime aversatur splendorem retro à Proceribus,  
 ob incomparabilem sacrarum disciplinarum scientiam, ac  
 prope divinam castissimi animi moderationem, CARO-  
 LO V. Caes. praeceptor, ecclesiae Dertiusens Antistes,  
 Sacri Senatus Patribus collega, Hispaniarum regni  
 Praeses, reipublicae denique Christianae divinitus Pon-  
 tificex absens adscitus Vixit A. LXIV. obiit XVIII.  
 Kal. Oct. a. c. l. s. XXIII. Pontificatus sui anno se-  
 cundo. Hoc elogium vix componi potest cum iis,  
 quae de illo ex C. Batti Parmensis epistolis exhibet  
 Wolfius in lect. memor. T. II. p. 191. T. d. H.*

(f) At haec vix conciliari posse videntur cum alio-  
 rum relationibus, qui in domo Porci vixisse perhi-  
 bent Hadrianum. Accedit, quod nulla Domus S.  
 Antonii reperitur Lovanii. Putem itaque scripsisse  
 Hardenbergium in domo *Standonica*. Idem enim  
 illud paedagogeum Porci vocatur quoque *Standa-  
 nicum* vel a collegio vicino, cujus Fundator existi-  
 tit Joh. Standonk, vel potius, quia ipsum Paeda-  
 gogium *Standonicae* domus hortus est, Valerio An-  
 drea teste l. c. ubi & addit *domus illius Vistatorem  
 a collegio Montis Acuti Parisensis constitutum Adria-  
 num Florentii, de Trajecto, qui a nostro Papa haud  
 alius est. T. d. H.*

(g) Usura eum esse insignibus Eggerdicae familiae P.  
*Opmeerus* in opere Chronographico his verbis te-  
 statur. *Sunt, qui arbitrantur eum Amstelodamo ori-  
 andum, & genus ducere paternum a Guilielmo Egger-  
 do,*

„coronatos, quibus & antecessores mei usi  
 „sunt. Sed cum nos quoque depauperati non  
 „uteremur insignibus majorum nostrorum,  
 „ego cepi uti insignibus mihi donatis in pro-  
 „motione mea. Sunt autem duo colligati  
 „serpentes in plano aurato, dimicantes de po-  
 „mo, quo volui Christum & Sataniam intelli-  
 „gi, qui de regno dimicant per pomum in  
 „contentionem constituto. Hæc scripsi Lo-  
 „vanii, ut illic tunc notoria ut & verissima  
 „sunt Anno Domini 1539. Non curo papam  
 „cognatum, sed admiror fortunam, aut divi-  
 „nam potius dispensationem in tali homine,  
 „de quo dici potest. Fraus tua non tua laus,  
 „non virtus sed copia rerum Sanctum fecere  
 „te Papam. Huc usque Hardenbergus.

Supra memoratum insigne Adriani Papæ  
 hodie conspiciendum exhibetur in frontispi-  
 cio domus ab ipso quondam Ultrajecti ædi-  
 ficatæ.

Hisce vale in Domino, Clar. Vir, & me ama.  
 Datum Emdæ, die 26. Maji 1721.

VII.

do, primario cive, cujus progenies, Joanne Bavaro in-  
 festante Hollandos, migravit ex ea urbe in alias di-  
 tiones. Argumento esse ajunt gentilitium Eggerdicæ  
 gentis insigne; quo semper usus fuerit Pontifex etiam  
 Adrianus. T. d. H.

HENRICI BRENCMANNI

de

Societate quadam literaria  
constituenda (a).

Consilium.

Quum octo abhinc annis, & quod ex-  
currit, post absolutam Florentiæ  
celeberrimi Pandectarum exem-  
plaris collationem, ceteram Italiam  
perlustrarem, forte fortuna acci-  
dit, ut Capuæ Virum Clarissimum Joannem  
Masson peregrinantem peregrinans offende-  
rem. Contractam Capuæ amicitiam Romæ,  
Nea-

(a) Lubentissime huic scripto in hac Bibliotheca locum  
assignamus, quod, si hoc institutum profligari pos-  
sit feliciter, non parum eo rem literariam, promo-  
tum iri credamus. Quamquam id quoque non dis-  
simulare liceat, valde nos metuere, non unius ge-  
neris impedimentis, nobile illud negotium aliquan-  
tum sufflaminatum iri. Cum enim his diebus Socie-  
tates publicae, multorum, qui actiones suas in tristes  
degenerasse passiones deprehenderunt, rationes  
conturbarint, id vereor, ne multi aliorum vestigiis  
nimium territi, vel tuta omnia sint formidaturi.  
Hoc itaque praecipuo loco agendum videtur, ut vel  
maxime incredulus quisque, se aes suum in tuto col-  
locare, quando sodalitati huic nomen dat, possit  
esse persuasissimus. T. d. H.

Class. V, Fasc. I.

Neapoli reduces, majorem in modum excoluimus. Conveniendi invicem familiariter & quotidie occasionem dabat incomparabilis in Vaticano Summi Pontificis palatio bibliotheca, dum alter alterum sæpe in itu reditu comitabamur. In ea consuetudine inter varios de eruditione sermones subnata est nobis commiseratio ob justissimam Eruditorum Italicorum querelam de fato Eruditionis iis in terris, & multiplici in libris edendis difficultate. Accedebat querimonia nostratium aliorumque ultra montes, indignationis plena, tot nempe thesauros in Italia claustris bibliothecarum detentos latere, cumque blattis & tineis colluctari, quorum præcipuus usus esse posset, ni adeo difficile & rarum cum iis regionibus intercederet commercium. Ex mutua illa conqueſtione cœpimus remedia circumſpicere, quæ hiſce malis medicinam facerent. Subductis autem rationibus viſum eſt, quadam commodorum commutatione utriſque ab alteris ſubveniri poſſe. Ex quo tempore gnaviter conſilia contulimus, de conditionibus, quibus ea res peragi poſſet, ſerio deliberavimus, cogitata in chartam conjecimus ac paulatim expolivimus, cumque inſignibus Romæ Literatis communicavimus. Protinus placuit conſilium: de mediis ampliandum videbatur. Atque hic tam vaſti moliminis embryo fuit. Deinceps, varie a variis admoniti, plurima in eo finximus atque reſta-

refinximus. Donec tandem in eam formam redigeretur, ut summorum Virorum adplausum & honorificentissima testimonia eliceret, Tum autem curavimus illud inseri Ephemeridibus Literatorum Italorum, quæ Venetiis prodeunt, tomo XI. an. MDCCXII. pag. 427. & seqq. atque insuper seorsim editum, inter Eruditos distribuimus. Neque vero solum in Italia, sed & in Galliis utroque pollice id institutum probarunt. Magnæ nihilo minus in executione remanserunt difficultates. Ut proinde nondum consultum videretur, tam ardui negotii periculum facere, ac tantam rem lubrico dubii eventus committere. Ad hæc eripiebatur mihi Clarissimi Massonis opera; quippe quem, lauto munere a Britannis cohonestatum, in posterum ei regioni affixum hæsurum intelligebam. Nimirum placuit Divinæ Sapientiæ id suo tempore reservare. Quum jam per aliquot annos animum despondissem, ecce derepente Θεός ἀπο μηχανῆς. Personæ, locus, opportunitates, circumstantiæ, omnia subito accommodata. Ita difficultates prope insuperabiles actutum evanescere. In primis autem, amisso Massone meo, complures alii in patria mea ope, consilio mihi adesse voluerunt. Nam qui formam Societatis perlegerint, satis animadvertent, curam tantæ molis non unius hominis esse. Interea temporis collegi cogitationes, tot annis attenta mente volutatas, discussi deliberatio-

nes cum sapientissimis hominibus susceptas, exquisivi ac trutinavi sermocinationes, consilia, admonitiones rationesque omnes. Tum vero me contuli ad reformandum universum Societatis systema, eo pacto quo nunc prodit, adjutus in multis suggestionibus & emendatione Illustrissimorum Amplissimorumque apud nos Virorum. Supremus rerum humanarum Arbitrator id quod virtutis ergo & bonarum literarum amore meditatur, ad solam nominis sui gloriam benigne fortunet.

## ERUDITIONIS

### \* PROMOVENDÆ STUDIOVIS.

**E**leganter Socrates, parturientibus ingeniis se obstetricem agere agebat: semperque laudabiles habitus sunt, qui egregios Eruditorum conatus quavis ratione promovere iisdemque opitulari studuerunt. Utcumque autem hoc seculum nostrum ferax sit Librorum, quibus impletur, si non & opprimitur Respublica literaria, qui tamen recta rem reputant via, conqueruntur; præter recoctam, quam dudum eruditiores nauseant, cramben, præter fabularum ac quisquiliarum vernaculos Libros, quæ auram plebeiam captant; præter tot compendia, quibus nunc satis sapere se credunt multi, dum laborem ipsos fontes adeundi subterfugiunt, denique præter illa, quæ τὸς τοῦ ἀλφίτου faciunt, quantumvis jejuna & barbara; præter hæc, inquam, paucos

\* Hæc præfatio fuit ante vetus systema Societatis.

nunc solidioris elegantiorisque eruditionis Libros typis committi queruntur. Interea tamen hoc non ex eo provenit, quod jam excellentium ingeniorum pene effœta sit natura, maxime iis in partibus, ubi quondam regnabat eruditio, quemadmodum alibi injuria creditur, verum quia laboratur impensis, aliisque librorum edendorum difficultatibus, quibuscum elegantiora studia, illic præsertim conflantur. Hinc, proh dolor! jacet sollertia, extinguitur ingenium, bebescit acies, & vel optimi quique, gloriæ adipiscendæ spem in desperationem vertentes, interdum sese otio, desidiæ & vitiis mancipant. Hinc ulterior arcanorum reconditiore doctrinæ perquisitio tantum non negligitur ac abjicitur. Hinc rarissimi Libri ipsique MSS., & in his etiam inedita majoris momenti, intercidunt. Hinc denique ipsæ bonæ literæ artesque ingenuæ, nulla spe præmiî allectæ, pallent languentque; ut vel ultimum earundem fatum ibi veniat timendum. Quin nec iis in regionibus, in quibus literarum librorumque commercia vigent, in quavis facultate aut materia eadem est imprimendi facilitas. Neque tamen fortasse hoc adeo Typographorum vitio contingit, sua lucra sectantium, quam quidem vulgi Eruditorum, qui superficialia rerum cognitione vanam sapientiæ gloriâ aucupantur, aut etiam soli pecuniæ parandæ intenti, cruda studia in pulpita & forum propellant; neque adeo veræ solideque Eruditionis gustum habent. Ut autem, difficile est, in unaquaque regione tot tantisque malis mederi, ita sane spes ampla est, percommode id fieri posse, si omnes undecum-

que divinarum humanarumque literarum amore flagrantes serio exsurgant, & in rem tam laudabilem simul & necessariam conspirent universi.

Videlicet, quod felix faustumque sit, ut pessime consuetudini quantocyus injiciatur remora, & promptissimum tutumque remedium offeratur, excogitata est certa rataque doctissimorum hominum SOCIETAS, quæ communium studiorum communisque scientiarum propagandarum desiderii vinculo fortiter colligata, & per utilissimam conspirationem indissolubili nexu constricta, ad universale totius Reipublicæ literariæ bonum & commoda conferat non modo sua studia & consilia, sed & paucas in Libros edendos impensas, ut scripta Sociorum, quæ luce publica digna sunt, prelo committantur. Ut adeo duplex ad instaurandam stabiliendamque rem literariam utilitas ex ejusmodi SOCIETATE profuere possit; prima, edendi egregii operis commodum; altera, quæ priori forte magnitudine & præstantia nihil concedit, amica facilisque consiliorum communicatio, ad omnes facultates studiaque generosiora, si non auxilio mutuo, saltem indicio adjuvanda. Quanta enim tum in publicis bibliothecis, tum in privatis sepeliuntur præstantissimorum ingeniorum κειμήλια? Quam multis in locis pretiosa latitat antiquissimorum codicum supellex, quæ in publicum protracta doctrinis omnibus literisque humanioribus lucem affunderet! Alia commoda aliasque utilitates hic indicare nil attinet, quum anteriora rite perpendentibus ultro in oculos incurrant. Hoc unum addere liceat, Socios, qui hic nomina dabunt

habunt, præter publicam utilitatem etiam hac privata beatum iri, quod libros a Societate edendos minore pretio habere possint, quam quilibet alii, ut in legibus Societatis prolixè dicetur. Sperandum quidem vix est, ut nullæ prorsus in exsequendo ejusmodi consilio suboriantur difficultates, verum illud tantum considerari oportet, an non majoribus initio occurri possit: leviores enim ob summam utilitatem spernere convenit: nec debet ob minimum incommodum utilissimæ rei præjudicium fieri. Ut igitur ineundæ Societatis ratio cuilibet constare queat, sed vel maxime, ut quisque consilia sua & difficultates possit adferre, totum negotium per partes exponere visum est, roganturque elegantiores Eruditi, ut, examinatis qui sequuntur articulis, deficientia supplere, quæ minus recte se habent emendare, & omnes in genere difficultates, quæ aut hætenus in iis se offerunt, aut per scrupulosiores excitari aliquando possent, benevole indicare, quin & remedia, quibus iis occurratur, suggerere velint. Cetera usus docebit.

## SOCIETATI FORMANDÆ.

### I.

Societas constabit Viris literatis & literarum amantibus ac fautoribus, cujuscunque ordinis & loci fuerint. Bibliothecæ quoque publicæ, Universitates & Collegia Sociorum loco erunt.

II. Typi curabuntur omnium præstantissimi & charta quoque in suo genere. Typothetarum

*tarum* numerus pro re nata ordinabitur. His unus præponetur rei typographicæ & aliarum, quæ huc faciunt, peritus. Præterea *correctores* quærentur quam accuratissimi.

III. Ut communis horum opera facilius evadat, & ut omnia tuto asserventur, *edes* habebuntur, in quibus, aut prope quas habitent, qui exercendæ Societatis curam agent. Tales jam in conspectu sunt, quæ prope Haggam Comitum sitæ, in loco commerciis & accessui aptissimo.

IV. Omnium facultatum *Libri* edentur, & ad quamvis eruditionis partem spectantes: hisce tamen legibus observatis.

1. In *Theologicis* ea tantum recipientur, de quibus omnes Christiani inter se conveniunt, seclusis disceptationibus inter partes reciprocatis: ita tamen ut cuique liberum sit disserere de locis Biblicis, ad Criticam Sacram, ad Philologiam, ad Historiam pertinentibus, etiam discedendo ab unius aut alterius privati auctoris sententia, sed quod nullum dogma respiciat. Dogmaticos enim & qui his affines sunt, Didacticos & Systematicos libros itidem evitamus.

2. In *Juridicis* excludantur Consiliorum & Responsorum volumina, utpote plurimum mere practica & forensia.

3. In *Medicis* ea vulgentur, quæ plurimum habent e speculativa scientia & Experimentis Physicis. Item Botanica, Chymica, Anatomica.

4. In

4. In *Philosophicis* ea præsertim, quæ ad principia naturalia, Mathesin & Experimenta pertinent. Metaphysicos vero libros, propter dubias & spinosas quæstiones, in controversiarum Theologicarum numero habemus.

5. In *Philologicis* edantur potissimum quæ Historiam, Antiquitates & Crisin illustrant. Excipiuntur itaque Orationes, Epistolæ & Carmina, quæ nudam solamque Rhetoricen exhibent. Nisi forte antiqui auctoris fuerint, maxime si inedita. Porro ne & illa merito suo defraudentur, quæ cedro digna sunt, & propter artis excellentiam omnes in admirationem rapiunt, etiam eas lucubrationes minime arcebit Societas. Nimirum solummodo nimiam in his edendis licentiam refrænare visum est, quum vulgo minus ad solidam eruditionem faciant, atque id genus quam plurima tam veterum quam recentiorum ad imitandum vulgata sint. Eâdem de causa arceamus Systemata & Compendia omnia, tam in hac quam in superioribus facultatibus.

6. Ex pridem editis rariores denuo in lucem edi poterunt, sed tum demum cum raritatem comitatur utilitas. Ut autem constet, non quæstus faciendi, sed eruditionis promovendæ primarium nobis scopum esse, a recu- dendis libris, quos bibliopolarum aliquis prelo commisit, per sexennium abstinemus, modo per eos in tempore certiores evadamus. Eosdem autem libros accipimus, in quibus

nihil majoris momenti aut ad illustrandum accedit, aut ad supplendum.

7. Summatim, in omni scientiarum genere ea seligantur, quæ majorem habent utilitatem, & cum amœnitate aliqua ac communium studiorum usu conjunctam.

8. *Apologia* autem vehementiores non admittentur.

9. Quod si quis non integrum justumque tractatum confecerit, sed *Dissertationem* quandam elegantiore[m] aut pauca *Observationum* capita, horum quoque ratio haberi poterit: ita ut sensim, in quovis studiorum genere collecta, volumen (b) *miscellaneum* constituent, præ-

(b) In collectione ejuscemodi observationum miscellanearum id præcipue curandum foret, ut quæque ad suum genus referantur. Si enim illae nullo habito disciplinarum & scientiarum discrimine in unum corpus redigantur, facile evenit, ut multa aere tuo tibi comparanda sint, quæ vix cum fructu legi possunt, quod cum illis scientiis, quibus in primis deditus es, nihil habeant adfinitatis. Rari enim sunt inter scientiæ divinæ studiosos, qui abstrusorum Mathematicorum problematum resolutionibus delectantur. Et, qui Galeni vel Hippocratis scripta nocturna, diurnaque manu versant, minus avide aut Ulpiani aut Papiniani leges illustrantia, terunt. Optandum itaque esset, ut qui vel ephemeridum literariarum, vel observationum miscellanearum edendarum curam habent, diversi generis facultum, ut vocant, vel scientiarum, rationem habeant, & quæ vel Theologiam, vel Jurisprudentiam, vel Medicinam, vel Philosophiam, vel literas humaniores

præmissis singulis auctorum nomine. Similiter *Inscriptiones*, *Numismata* ceteraque Antiquitatis *monumenta* recens detecta, aliave nondum vulgata colligi possunt, & in volumen accrescere.

10. Omnia autem edentur in *linguis eruditis*, (c) *Hebraica*, *Græca*, *Latina*. Si qua tamen major utilitas *vernaculum* tractatum commendet, in *Latinum* transferri poterit. Præterea ut vel de cetero aliquis Societatis fructus ad eos redundet, qui suo idiomate Libros edunt,

res, ad quas *Historia civilis* & *Critice* pertinet, spectant suis quæque voluminibus seorsim inclusa evulgent. T. d. H.

(c) Sane consilio optimo, & vel publicis Principum edictis faciendis, id fiet. Qui enim res eruditas, & à vulgi captu remotas (de libris enim Christianæ religionis capita, aut doctrinam morum, & fidei tractantibus, nobis sermo non est,) vernaculo sermone, nimio gentis suæ amore abrepti, tractant, dici non potest, quantum inscitæ rei literariæ detrimenti, dicam? an cladis inferant. Dolebit sane posteritas si qua post unam alteramve annorum centuriam vivet, nostræ ætatis consuetudine impostam sibi esse necessitatem, fere omnium Europæ dialectorum notitiam, quod sine immenso labore fieri non potest, sibi comparandi. Et, quod magis est, non minori cum fastidio nostræ tempestatibus libros accipiet, quam quo v. gr. Gallia suæ nationis scripta ante sæculum edita nunc quidem solent suscipere. Utinam malo illi indies grassanti latius, medelam afferre, quotquot literas amant, coluntque, serio conarentur. Confer, quæ in hanc rem notata a nobis fuere Cl. I. pag. 518, 519. T. d. H.

edunt, poterunt vernacula Sociorum opera in  
Novis literariis significari.

V. Jus *edendorum* typis Societatis librorum  
non habebit nisi Socius. Quod si quis magis  
è re sua, aut commodius sibi esse putaverit,  
omisso Societatis beneficio, per bibliopolas  
opus suum in publicum dare, hoc quoque jus  
ei fasque esto.

VI. Circa libros ad Societatem mittendos  
cavendi sunt duo scopuli; alter, ne quis stu-  
dio partium excludatur a beneficio Societatis,  
si forte ab arbitrio Sociorum ejusdem regio-  
nis staret caderetve libri existimatio: alter  
vero, ne audaciores, mittendi facilitate abu-  
tentes, sumptibus inanibus Societatem ve-  
xent, & eruditos supervacuo examine discru-  
cient. Itaque optimum factu visum est, ut  
quidem unusquisque propria auctoritate opus  
suum transmittere possit, verum ut suis im-  
pensis hoc faciat. Quod si grande opus fue-  
rit, quando ejus indolis est, ut ex specimine  
de toto judicari queat, *specimen loco operis*  
*exhibere* licebit. Plerumque autem consul-  
tius fecerit Auctor, si in antecessum mittat  
summarium operis, seu compendiosam & con-  
spicuum synopsis, unde de instituto ejus &  
methodo iudicium formetur. Sed & hoc  
suis sumptibus procurabit. Verum omnes hi  
sumtus restituentur, cum opus a Societate pre-  
lo subjicietur.

VII. Ante omnia vero priusquam liber ty-

pis committatur, *examine* erit submittendus. Examina-  
 bunt autem celebriores in unaqua-  
 que scientia Viri. Sed cum horum alicui exa-  
 minandum datur, reticebitur nomen auctoris,  
 ne qua invidia, odii atque obrectationis su-  
 spicio examinantis censuram oneret. Dein,  
 ut fama auctoris, repulsam passi, parcatur.  
 Rursum, si amicus esset, in approbando plus  
 gratiæ videri posset tribuisse quam veritati.  
 Quod si vel sic iudicio examinantis gravatum  
 se quis autumat, proferat testimonium duo-  
 rum, qui in eo studio scriptis inclaruere, pro-  
 fitentium, examinatum opus injuria sibi reje-  
 ctum videri: eo in casu idem opus alteri ex-  
 aminandum mittetur, sed impensis auctoris.  
 At secunda vice improbatus tractatus, omnino  
 repudiabitur. Ceterum examinatores illi sive  
 censores, si haberi poterunt, semper diver-  
 sæ regionis nationisque erunt ab ea, in qua  
 auctor degit; nimirum ne facile auctor exa-  
 minanti innotescat, quod in eadem regione  
 difficillime potest vitari. Et hæc quidem ob-  
 tinebunt, si dubitetur, an forte in leges So-  
 cietatis peccatum sit, aut num elegantiori eru-  
 ditioni liber inserviat. Quod si enim & Au-  
 ctor & materia ejusmodi sint, ut non habeat  
 Societas quod ab alterutro sibi metuat, talis di-  
 ligentia insuper haberi potest, totumque nego-  
 tium arbitrio Defensorum permittetur. Exa-  
 mini quoque non subjacebunt inedita veteris  
 aut mediæ ævi, ut nec pridem impressa.

VIII. Edito post approbationem libro, impressorum exemplorum quinta decima pars donabitur Auctori: adeo ut, si mille prelo subjiciuntur, septuaginta & quinque sibi habeat, ea tamen Amsterdamo petet, aut suis sumptibus suoque periculo ad se transmitti jubebit. Sic, si quis librum ipse composuit. Sin vero defuncti alicujus opus ediderit, aut pridem impressum, ut et, si tantum sparsa collegerit, inve aliam formam redegerit, huic pars trigesima exemplorum aut minor arbitrato Defensorum Societatis concedetur. Erunt fortasse qui loco librorum pecuniam malint. His quoque gratificabitur, sed deducta quarta parte pretii. Poterit insuper aliquis ex parte exempla, ex reliqua pecuniam petere. Quod si quis nondum edita prisca aut medii ævi scripta protulerit, præter laudata exempla etiam præmio honorabitur, prout convenerit.

IX. In impensas ad erigendam & exercendam Societatem necessarias fiet *subscriptio* in tot florenos, quot quis volet, minimum tamen in quinquaginta. Florenos intelligimus nostrates, quorum quinque cum quadrante aureum Hungaricum efficiunt, quem vernaculis linguis Ducatum appellamus.

X. Subscriptorum florenorum *dimidium* statim in exordio Societatis *representabitur*, reliquum post annum. Persolvetur autem Amsterdami, nisi forte alicui commodius sit, Administratori ordinario, alibi existenti, solvere.

Quod

Quod si quis anno vertente *dimidium*, quod restat, solvere distulerit, carebit interea omnibus Societatis privilegiis usque dum solvat. Si vero per integrum quinquennium cessatum fuerit, quodcumque ex collata pecunia supererit, in commissum cadet.

XI. Collatæ pecuniæ *decimæ* pars *precipietur* in impensas instrumentorum, inque salaria administrantium & mercedes operarum; nec non in Nova literaria, quæ singulis tribus mensibus gratuito ad Præsides mittentur; denique in laturas epistolarum per disjunctissimas Europæ plagas mittendarum. Reliquæ vero *novem* partes manebunt Sociorum, pro quibus quisque libros arbitrato suo arcesset: neque enim alios accipere tenebitur, quam quos ipse desideraverit. Sic v. gr. qui quinquaginta florenos conferet, quinque largietur in impensas & sumptus enumeratos, pro quinque & quadraginta reliquis Societatem ejusque Administratores debitores habebit, usque dum libris insumpti erunt, ita deinceps in ceteris. Singulis autem Sociis jus erit taciti & legitimi pignoris in pecuniam & res Societatis, ubicumque locorum fuerint. Moriente Socio antequam libri, quos arcessivit, collatam summam æquent, heredes ejus pro residuo succedent in universum jus, quod defunctus in Societate habuit.

XII. *Privilegia* Sociorum hæc erunt: Primum, jus edendi operis sumptibus Societatis.

Ita

Ita nihilo minus, ut, si necessarium duxerint Defensores Societatis & Administrator ordinarius, non ante prelo committatur opus, quam tot numero Socii aliive in exemplum sese obligaverint, quot requiruntur ad conficiendum duas tertias partes impensarum, quas in edendo opere feret Societas. Nisi auctor libri tandem pecuniam repraesentare paratus sit, recepturus deinde, ubi tot exempla distraeta erunt. Hunc in finem, cum ejusmodi opus prelo committetur, rogabuntur singuli in Novis literariis, ut declarent, qui exemplum velint: atque una significabitur, quot circiter foliis, quotque voluminibus constabit, quo temporis spatio speretur absolvi, & quo pretio vendetur.

Alterum privilegium, ut ope Societatis subsidia literaria, quaecunque praestari poterunt, unusquisque accipiat.

Tertium, ut libros a Societate edendos minore pretio habeat, quam exteris vendentur. Nimirum is qui in quinquaginta florenos subscripsit, tres in singulos centum de ordinario pretio deducet; qui in centum quinquaginta, decem; qui in ducentos viginti quinque, quindecim; qui in trecentos, viginti; qui in trecentos septuaginta, quinque & viginti; qui in quadringentos quadraginta, triginta; qui denique in quingentos florenos, triginta quinque. Exempli causa, qui in quingentos florenos subscripsit, opus a Societate impres-

sum,

sum, quod communiter valet duodecim florenos, habebit pro septem florenis cum sedecim assibus: viginti autem asses efficiunt florenum: qui in quadringentos quadraginta, pro octo florenis cum assibus totidem. & sic in reliquis collationum classibus, ut docet tabula subjecta.

Classes	Deductio	Ergo
subscriben- tium.	in sing. cent.	Lib. 12. floren. constab. unicuiq.
1. in 500.	- 35.	7: 16.
2. in 440.	- 30.	8: 8.
3. in 370.	- 25.	9: 12.
4. in 300.	- 20.	10: 4.
5. in 225.	- 15.	10: 16.
6. in 150.	- 10.	11: 12: 8.
7. in 50.	- 3.	

Sed nemo plus uno exemplari iis pretiis accipiet. Plura si velit, pro ceteris ordinarium pretium persolvat, æque ac reliqui non Socii. Nec ulterius durabit hæc pretii deductio quam pecunia collata: cetera tamen Societatis privilegia durabunt. Sed & per novam pecuniæ collationem, priore libris exhausta, quasi postliminio redibit intermissa deductio pro rata collationis, de qua, similiter ac de priore, decima portio præcipietur in sumptus Societatis. Ordinarium seu commune pretium intelligimus, quod a bibliopolis in unoquoque librorum & typi genere statui solitum est. Quod si Administratores plura exempla

uni e Sociis, aut unum quibuslibet extra Societatem minore pretio vendidisse convincantur, mulctam subibunt bis mille florenorum, applicandam pro dimidio convincenti, pro altero dimidio pauperibus. Bibliopolis tamen permiffa erit confueta inter eos deductio in singulos centum. Postremo quisque exemplum suum Amsterdamo petet, aut mittetur ei quo volet, periculo illius & impensis.

Quartum privilegium est, communicatio Novorum literariorum per Præsides.

Quintum, ut quosvis alios libros, extra Societatem in quavis Europæ parte impressos, protinus possit accipere, eo pretio, quo a bibliopolis venduntur.

Ultimum, idque varium & multiplex, uti videl. unusquisque sit particeps aliarum quarumvis utilitatum & commodorum, quæ ad finem hujus systematis enumerantur.

## SOCIETATI REGENDÆ.

### I.

Omnes Socii in *album* referentur ordine alphabetico, discretis tamen nationibus. Hoc album publici juris fiet.

II. Regendæ exercendæque Societati præerunt: quinque Defensores: Administrator ordinarius cum duobus extraordinariis: unus ab Actis Secretisque, alter a Rationibus: Præpositus rei typographicæ. Præterea, crescentibus negotiis, ei, qui a Secretis est, addetur qui sit ab Epistolis.

Hi omnes, exceptis Defensoribus, in loco ubi ædes Societatis & typographeum, domicilium habebunt, rerumque ac fortunarum suarum summam constituent. Nisi forte alter extraordinariorum Administratorum tam prope abesset, ut quotidie ad ædes Societatis accedere & domum reverti possit. Profecto se totos curandæ Societati impendere debent. Conferent autem Administratorum quilibet quingentos florenos, Secretarius & qui ab Epistolis trecentos septuaginta, Rationarius denique trecentos.

III. Ut in mechanicis omnium facillime reguntur, quæ ex pluribus rotulis, mutuo quodam ordine inter se collocatis riteque dispositis, constant, ita etiam in civili machina junctoque plurium corpore. Quapropter omnino recipiendum arbitramur prudentissimorum Virorum consilium, qui suadent, ut in unaquaque regione, inque ejus metropoli, caput aliquod seu *Præses* constituatur, quocum ea quæ ad Societatem pertinent, communicentur, quique membrorum suorum patronum agat, si quid habent quod a Societate præstari desiderent. Idem nova literaria suæ provinciæ sive regionis cum Administratoribus breviter & succincte communicabit. Præsidibus pro vectura epistolarum & rescribendi opera dabuntur sex exempla eorum librorum, qui a membris suæ provinciæ sui que territorii ac diceceseos edentur. In his quoque exem-

plis mittendis neque sumptus feret Societas, neque pericula itineris præstabit. Denique poterit unusquisque e Sociis Administratores literis compellare, suo tamen sumptu.

Nunc vero officia rectorum Societatis & munia ministrantium videamus.

IV. Quinque *Defensores*, ex Illustrissimis ac gravissimis Reip. nostræ Proceribus eligendos, statis anni temporibus adibunt Administratores. Cum his agent de dubiis in administrando emergentibus, deque aliis rebus ad incrementum Societatis & publicum literarum bonum spectantibus. Litibus forte exortis inter Socios invicem, vel Socios & Officiales vel Officiales invicem, has transactione component, vel sententia sua definient Defensores Societatis, sub spontanea condemnatione Senatus supremi in Hollandia.

Moriante uno e Defensoribus, reliqui tres quartum in ejus locum cooptabunt. Moriante autem Administratore ordinario, ex duobus extraordinariis aliquem in ejus locum sufficient Defensores. Extraordinariorum vero alterutro moriente, aut in ordinarii locum suffecto, ipse ordinarius tres nominabit, e quibus optionem deferet Defensoribus.

V. Munia *Administratorum* hæc sunt:

I. Omnia disponere ut recte atque ordine procedant, & hoc in tempore. Commerciis & communicationibus subsidiorum, quæ ad rem literariam faciunt, vel inter remotissimos igno-

ignotissimosque ansam dare. Societatem denique factam tectam servare, ceteros in officio continere, & quovis modo efficere, ne quid detrimenti capiat res communis.

2. Nomen auctoris examinanti celare, & vicissim examinantis auctori. Idem observabunt, si quis deliberet de opere instituendo, in quo aliorum opem desiderat: ne scil. partium studia & livor atque obtrectatio subsidiorum utilitatem intervertant. In primis vero filebunt fatum operis improbatum.

3. Quando plures diversorum tractatus examinati approbatique se offerunt, qui simul prelo committi nequeunt, rationem habere materiae & Socii quoque: ut nempe facultates nationesque, quantum fieri potest, alternent, utque in pari causa potior sit qui prior est tempore, h. e. qui prius nomen Societati dedit, vel in plurimam summam subscripsit: item, qui nondum vices in edendo habuit. Vices etiam edendi habuisse censebitur, qui opus transmisit, quod ab examinante reprobatum fuerit. Veruntamen in hisce, ut in aliis omnibus, publica literarum utilitas suprema lex esto. Certe anteriorum seculorum ἀνέκδοτα ceteris omnibus præferentur.

4. Pecuniam Societatis accipiet & erogabit Administrator ordinarius; Scribam, sive Secretarium, aliaque officia constituet; salaria pro cuiusque opera assignabit &c. eaque omnia suo non Sociorum periculo: sicut a Socio,

K ;

qui

qui subscriptam pecuniam solverit, nihil amplius exigi possit.

5. De omnibus porro constituet ex sententia Defensorum, quam sequi tenebitur. In rebus interea minoris momenti, aut quæ dilationem non patiuntur, utilitatem Societatis ex consilio extraordinariorum procurabit, qui in his velut assessorio munere fungentur. His præterea quamcunque officii sui partem injunget, prout commodum ipsi aut necessarium videbitur.

6. Denique, novo Administratore ad Societatem accedente, omnia Societatis instrumenta ac libri nondum distracti, & quicquid ex collata Sociorum pecunia superesse ex rationibus apparebit, sistentur ac in Societate manebunt.

VI. Ad *Secretarii* munus pertinebit:

1. Acta Societatis diligenter perscribere, & conficere indices Sociorum.
2. Subsignare sive subscribere exemplaribus librorum, qui examinandi mittentur, adjecto die & consule, ne falsus partus supponatur, neve quis alterius opus pro suo edat. item omnibus exemplis operis impressi; ne fraus fiat circa numerum exemplorum.
3. Tenere claves secretioris custodiæ, ubi acta Societatis & instrumenta rationum, nec non exemplaria missorum operum & literarum ordine serventur.

ibi VII. Qui *rationibus* destinatus est, conficiet Libros rationum, in quos accepta & expensa accurate & methodice distincteque referat. Harum rationum breviarium tertio quoque mense exhibebit Administratoribus, ut identidem constet de debitis & creditis deque residuo Societatis.

VIII. *Examinantis* munus sequentibus absolvetur:

1. Ut ante omnia ignoret, *cujus opus sit*: adeoque si id reseverit, examini ut statim renunciet. Nisi tamen tale opus sit, quod neminem latere potest, vel *cujus auctor ante initam Societatem jam omnibus innotuerat.*

2. Ut tempus ipsi præseribatur, laxius tamen & in quo examen absque majore incommodo perficere possit, habita ratione materiae molisque ipsius libri & occupationum *Examinantis.*

3. Ante omnia vero animadvertet, primum, an ab auctore sit peccatum in leges Societatis; deinde, an publico expediat ejusmodi opus *in lucem mitti.* Si quid præterea monendum occurrat, unà *indicare poterit.*

4. Quod si magnum volumen sit, *cujus pleraque jam ab aliis occupata*, qui forte ipsi Auctori ignoti sunt, eo in casu monendus videtur, ut librum suum in formam *Dissertationis*, aut *Capitum aliquot* contrahat, recisis supervacuis. Atque ita hoc ad collectiones pertinebit, de quo actum Societatis formandæ

art. IV. num. 9. Denique simili modo recidi possent Digressiones alieniores, quas præter necessitatem inserunt aut potius intrudunt quidam, atque itidem ad memoratam *συναγωγήν* revocari.

5. Dicitum supra, auctorem grandioris aliqujus operis defungi posse, si solum specimen exhibeat, modo inde de toto constare possit. Ne autem subdola sit ejusmodi exhibitio, Examinator præter id specimen aliud rogabit, ex qua operis parte id ei visum erit, etiam ex pluribus & dissitis partibus. Quod si vero integrum opus desideret, in eo quoque illi auctor morem gerat oportet.

6. In omnibus autem Examinans meminerit ejus regulæ; Quod quisque juris in alterum statuerit, ut ipse eodem jure aliquando utatur. Non temere etiam Administratores consulent, qui aut nimis rigidi habentur, aut nimis faciles.

IX. Post tertium quemque mensem *Nova literaria* conficiuntur, quaquaversum mittenda. Summatim autem & compendio continebunt maxime conspicua, & quorum notitia ad Societatem pertinere videtur. Inter cetera iisdem indicabuntur scripta Sociorum typis commissa & proxime committenda. Item si quid novi operis Socius moliatur. Quia autem & hic nomen celari convenit, ut monitum, subsidia illa ad Societatem mittentur, communicanda porro cum eo, qui opus no-  
vum

vum molitur, quique honorificam suppeditantis commemorationem facere debet. Quo autem magis liqueat, non esse Societati propositum, aliorum luminibus officere, desiderantibus bibliopolis, etiam libros, qui extra Societatem edentur, iisdem Novis indicabit, item ubi & quo pretio veneant, sed tamen solos eos, qui superius non arcentur.

Hujusce instituti & commoda & utilitates multiplices esse ac perinsignes, quis non videt? Sed notata sparsim in antecedentibus persaturam hic colligamus, adjectis pluribus aliis. Censemus igitur hac Societate.

Incitari excellentia ingenia, quæ ceteroqui desidia & otio marcescunt, iisdemque non una ratione succurri.

Stabiliri commercium quoddam publicum inter totius Europæ eruditos, unde vel hi, qui apud suos sat facilem edendi libros occasionem habent, mirum in modum adjuventur. sic enim collationes MSSorum posse institui; reconditæ notitiæ libros, & incognitas pene priorum temporum editiones indagari & colligi; denique & majoris moliminis opera collatis viribus suscipi perficique posse. sic quoque protinus cognosci, quid ubique locorum meditentur Viri docti.

Ad hæc, quum plurima opera in suis quæque regionibus hæreant, antequam finibus illis egressa volitent per ora exterorum, hac ratione puncto temporis dispergi per universam Europam.

Insuper hoc pacto inedita, quæ latitant in bibliothecis, vulgari: ut & novis typis committi rariora utilioraque ex his, quæ olim typis emissa.

Ab interitu vindicari minores quasdam, sed elegantes lucubratiunculas, quæ seorsim edivix possunt, ac proinde fere cum morte auctorum intercidunt. Similiter etiam collectiones Inscriptionum ac Numismatum nondum vulgatorum, quæ simili fato dilabuntur.

Bonos libros, nitide correcteque impressos, modico comparari.

Sed & alios extra Societatem in quibuscunque Europæ partibus recens editos cum Sociis facile communicari posse.

Occurri præterea crebris classicorum aliorumque Auctorum editionibus, quæ identidem recuduntur, quando quis qualecunque novum subsidium nanciscitur, cum magno eruditorum in comparandis tot repetitis editionibus dispendio.

Foveri linguas eruditas, quæ hodie a vernaculis tantum non supprimuntur, cum insigni solidioris eruditionis jactura.

Meliorum scribendi methodum induci, supervacua recidi, digressiones nimium quæsitatas reprimi, ex aliis desumpta ablegari.

Exquisitiores in singulis doctrinis libros elici, remotis qui minus utiles.

Frangi factiosa eruditorum quorundam dissidia, sectasque seditiosas debilitari.

Obviam iri contentionibus, rixis, injuriis, quibus interdum alter alterum indignis modis proscindit, quæque auctores suos & ipsam eruditionem imperitis deridendam propinant.

Ex contrario, id quod miraculi instar obtinet, hac ratione eventurum, ut æmulus æmulo opem ferat, & ut, ingratiis inimicitiarum, æquum veritati testimonium perhibeatur: nesciri enim cujus res agatur.

Præterea non solum conjungi ne nomine quidem notos & qui locorum intervallis vel maxime diffiti sunt, sed vel immensis opinionum divortiis dissentientes amice in idem conspirare.

Examen librorum sic institui, ut nec sincerius, nec accuratius fieri posse videatur.

Omnibus denique beneficium ultro offerri, nullius libertatem imminui.

Muniuntur hæc testimoniis Virorum dignitate ac doctrina illustrium, hoc consilium utroque pollice approbantium, qui nunc in Italia & Gallia literas ornant, quam plurimis. Inter quos *Alexandrum Albanum, Justum Fontaninum, J. Vignolium, Virginium Valsechium, Ant. Mariam Salvinium, Lud. Ant. Muratorium, Bened. Bacchinium, Phil. à Turre, Bernhardinum Ramazzini, Jacobum Facciolatum, Henr. Newtonum, Ren. Jos. Turneminium, B. de Montfaucon, Jac. le Long, Ant. Gallandium, Michaelem Lequien, Dacerium, Annam Daceriam, Renaudotum, Huetium, Baudelotium, Boivinios,*

nominasse sufficiat. Addimus Cl. Bren-  
manni literas sua manu scriptas, nosque alle-  
gatas.

Lecturis

S. P. D.

*Henr. Brenkmannus.*

**A**Gite, Vos inprimis Musagetæ & scien-  
tiarum statores, quotquot superestis, qui  
consilium SOCIETATIS LITTERARIÆ  
tantis laudibus extulistis, meque exhortatio-  
nibus vestris & promissis ad audendum quod  
molior opus inflammastis, quin & induravi-  
stis ad tot annorum perseverantiam. Tan-  
dem aliquando, Deo favente, spes bonieven-  
tus affulget. Sed & Vos omnes omnium Eu-  
ropæ Nationum Eruditi quos mihi compellere & coram revereri non contigit, quique  
sine dubio pari animorum contentione cur-  
rentem incitaturi fuissetis, adeste nunc ope  
consilio ad stabiliendam rem studiis omnibus  
utilissimam quin & necessariam plane, siqui-  
dem magnorum Virorum testificationi fides  
sit habenda. Fugientes Musas, quoniam sin-  
guli non possumus, universi sistamus. Ipsi sa-  
ne fidem, diligentiam, assiduitatem, quanta  
præstari potest, ex animo pollicemur. Sed  
ad ipsam rem.

Quam primum constiterit de numero So-  
ciorum & summa sufficienti, protinus execu-  
tioni

tioni mandabitur consilium, praestituti die, loco, personis, quando, ubi & quibus solutio prioris pensionis facienda erit. Significabuntur una Defensores Societatis, eiusdemque Administratores. Responsorias, si placet, Leidam dirigetis. Ne vero impensae in literis perferendis praeter necessitatem multiplicentur, poteritis qui eiusdem urbis aut tractus estis, iisdem literis plures subscribere. In subscriptionibus praeter nomen & summam, etiam dies addatur & dignitas subscribentis. Si in ipso Societatis systemate quaedam minus placeant, meliora, quaeso substituite. Quum diversa aut contraria in eodem genere suggerantur, quia omnibus simul obtemperari nequit, sequemur id, quod maxime probabile erit, sepositis ceteris, quae postea in usum deduci poterunt, si forte experientia refragante, id quod minus expeditum erat, elegerimus. Subministrare etiam materiem inchoando operi idoneam, praesertim inedita veteris & medii aevi. *Prela Societatis protinus exercere poterunt, ni ante utiliora obveniant, Roberti Titii, Burgensis, Loca controversa, tam pridem edita, quam postuma: Eorum quippe XV. libros ex Italia nacti sumus. Exspectamus itidem vitam auctoris cum effigie. Addi praeterea poterunt Josephi Scaligeri Animadversa in eiusdem Locorum controversorum X. libros editos, una cum Roberti pro his Assertionem, fortasse & alia*

alia ex rarioribus ejus opusculis. Insuper  
 spes nobis facta est adipiscendi Orationes &  
 Epistolas Graecas ἀνεκδότους, tum Libanii Sophi-  
 stae, tum etiam Georgii Cyprii, Patriarchae  
 CPrani: Item Guid. Panziroli commentarium  
 in Tertullianum: Roderici Cari Veterum Hi-  
 spaniae Deorum manes sive reliquiae\*: De-  
 scriptionem urbis Vicentinae cum inscriptio-  
 nibus aliisque monumentis: Historiam Sue-  
 cicam ex numismatibus eius regni: Historiam  
 imperii Ottomannici: Egregium Anonymi  
 commentarium in Decretales, nec non aliqua  
 Jurisconsultorum Gallorum in jus civile, ut  
 puta, Antonii Contii, Jani à Costa, Caroli  
 Hannibalis Fabrotti, Johannis Mercerii, Ed-  
 mundi Merillii, & aliorum, ipsius quoque Cuja-  
 cii, nec non Scipionis Gentilis: omnia typis  
 nondum vulgata. Valete, orbis literati decora,  
 & nobiscum serio in promovenda studia in-  
 cumbite. Dabam Hagae Comit. . . . Kal.  
 Maias. M DCC XXI.

\* *Aureum opus vocat Nicolaus Antonius in Bibliotheca  
 Scriptorum Hispaniae.*

**Formula Subscriptionis.**

Nos infra scripti. Lectis SOCIETATIS LI-  
 TERARIAE Legibus, eius nos Socios profite-  
 mur futuros.

Speciminis Loco subjiciuntur quidam ex his  
 qui ita jam Hagae Comit. & Leidae subscri-  
 pserunt.

ALBINVS (Bernard.) Professor Medicinae,  
 BASNAGGE (Jacob.) Verbi divini Minister.  
 BERGH

BERGH (Joh. van den) Consiliarius Ordinum Hollandiae.

BOERHAVE (Herman.) Professor Medicinae.

BRANDWYK (G. van) Toparcha in BLESKINGRAVE, Consiliarius Foederati Belgii.

BVRMANNVS (Petr.) Historiar. & Eloquent. Professor.

BYNKERSHOEK (Corn. van) Supremae Curiae Senator.

CVNNINGHAM (Alex.)

FABRICIVS (Franc.) Theologiae Professor.

FAGEL (Franc.) Graphiarius Ordinum Generalium.

GOSLINGA (Sicco van) Curator Academiae Franequeranae, Frisiae nomine Legatus ad Ordines Generales.

HOORN (Henr. van) Zeelandiae nomine Legatus ad Ordines Generales.

HOORNBEEK (Is. van) Syndicus Ordinum Hollandiae.

HVYBERT (P. A. de) Toparcha in KRVI-  
NINGEN, Satrapa Muidensis.

LEWE (E. J.) Toparcha in ADUERT, Consiliarius Foederati Belgii.

NEVFVILLE (Robertus de) Eques Baronnetus Magnae Britanniae.

NOODT (Gerard.) Professor Juris.

SALLENGRE (Albert. Henr. de) Consiliarius Principis Arausionensis.

SAVRYN (Jac.) V. D. M.

SCHVLTINGIUS (Anton.) Professor Juris.

SEN

SENGVERDIVS (Wolferdus) Professor Philosophiae.

SLICHER (Anton.) Senator Curiae Hollandiae.

SLINGELANDT (Simon van) Consilio Foederati Belgii à Secretis.

SCHAEP (Regner) Senator Curiae Supremae.

STOSCH (Philip. de) Consiliarius Regis Poloniae.

VEGILIN van CLAERBERGEN (Phil. Freder.) Frisiae nomine Legatus ad Ordines Generales.

VITRIARIVS (Joh. Jac.) Professor Juris publici, & hoc tempore Rector Magnificus.

VROESEN (Joh.) Senator Curiae Brabantinae.

WASSENAER (Arent Baro de) Toparcha in DVVENVOORDE &c. Nobilitati Hollandicae adscriptus, Praeses Camerae rationalis Ordinum Hollandiae &c.

WASSENAER (Joh. Henr. Comes de) Toparcha in OPDAM &c. Nobilitati Hollandicae adscriptus, & ejus nomine Consiliarius Foederati Belgii &c.

WELDEREN (Joh. Baro de) Toparcha in VBBVRG, Geldriae nomine Legatus ad Ordines Generales.

WITTICHIUS (Jacob.) Professor Philosophiae.

WYNBERGEN (Joh. Baro de) Toparcha in GLINTHORST, Geldriae nomine Legatus ad Ordines Generales.

Libri quidam Theologici  
in Anglia per modum subscri-  
ptionis imprimendi.

I.

**H** KAINH ΔΙΑΘΗΚΗ Græce. *Novum Testamentum Versionis Vulgatæ, per S. Hieronymum ad vetusta Exemplaria Græca castigatæ & exactæ. Ultrumque ex antiquissimis Codd. MSS., cum Græcis tum Latinis, edidit RICHARDUS BENTLEJUS.*

Visum est Editori celeberrimo, cum observasset, impressa exemplaria N. T. tam Græca, quam Versionis Vulgatæ ex MStis non adeo antiquis esse exscripta, jam vero antiquiora longe ante plus quam mille annos descripta per divinam providentiam in Europa extent, novam plane textus tam Græci quam Latini editionem procurare, quæ non respondeat editionibus recentioribus, quas interpolatas tradit, sed antiquissimis Manuscriptis. Notavit quædam Hieronymi loca, in quibus testatus est, se Universam Vulgatam Latinam reformasse secundum optima Exemplaria, quæ erant Origeniana. Eundem Patrem alicubi reperit adferentem, verbalem Interpretationem non esse necessariam, præterquam in Sacra Scriptura, ubi ipse verborum ordo *Mysterium*

est. Inde collegit, non melius lectionem authenticam restitui posse, quam versione Hieronymiana cum antiquissimis exemplaribus Græcis collata. Ita putavit se, paucis tantum locis exceptis, restaurasse verum Exemplar Origenis, quod erat sacra anchora Patrum Concilii Nicæni & duorum sequentium seculorum. Hoc pacto existimat ex Labyrintho triginta millium Variarum Lectionum vix ducentas, quæ aliquam considerationem merentur, fore superstites. Ad confirmationem Lectionum, quas in Textum adoptat, adhibebit versiones Syriacam, Copticam, Gothicam & Æthiopicam, nec non Patrum Latinorum & Græcorum ex quinque primis seculis citationes, quæ sub Textu locabuntur. Nullis interea conjecturis aut correctionibus absque autoritate locum dabit. Comparebunt quoque sub textu variationes, in quibus a textu Stephani Græco & Vulgatæ ex emendatione Sixti V. ac Clementis VIII. Latino abit. In prolegomenis vero rationes sui ab his editionibus dissensus exhibebit. Opus ipsum duobus Voluminibus in folio nitidissime imprimetur. Pretium ei fixum pro subscriptibus erit trium Guineorum. Corrigen- di in se laborem suscepit doctissimus Joannes Walker, qui diversa MSSa Parisiis contulit in usum hujus editionis.

II. De vita & rebus gestis Mohammedis, cognomento Abulkajem ben Abdo'lla, Islamicæ

tica Religionis Auctoris, nec non Imperii Sa-  
 racenici Fundatoris, Historici Duo, viz.  
 ABULFEDA & JANNABIUS, Histori-  
 corum Arabum Principes. E Codicibus  
 MSSis Laudianis & Pocockianis Bibliothe-  
 cae Bodlejane descripsit, Latine vertit, &  
 notas adjecit JOHANNES GAGNIER  
 A. M. Accedunt accuratae Arabiae Triplicis  
 Geographicae Tabulae ex eodem Abulfeda, Al-  
 Edrisio, aliisque, & Stemma Genealogiae Mo-  
 hammedis: Item Caaba, sive Templi Mec-  
 cani Delineatio, Sepulchri Mohammedis, &  
 Templi Medinensis Descriptio, aliaeque mul-  
 tiplices Figurae aeri incisae utrumque opus illu-  
 strantes, cum praefatione & indicibus copio-  
 sissimis. Oxoniae e Theatro Sheldoniano.

Liber hic centum circiter constabit philyris  
 in folio, pro quibus subscriptores libram Ster-  
 lingicam solvendam habent.

III. *Some Account of the present Greek Church,  
 with reflexions on their present Doctrine  
 and Discipline; particularly in the Eucha-  
 rist, and the Rest of their Seven pretended  
 Sacraments, Compared with JAC. GOARS  
 Notes upon the Greek Ritual, or ΕΥΧΟΛΟΓΙΟΝ.  
 By JOHN COVEL, D.D. Master of  
 Chr. Coll. C.*

Hujus libri Author A. 1670. in comitatu Da-  
 nielis Harvei, Legati Caroli II. ad Portam  
 Ottomanicam, cui a sacris fuit, ipse Constan-  
 tinopolin profectus fuit, & cum Ecclesiae Græ-

cæ Antistitibus commercium habuit. Conficient librum 160 circiter philyræ in folio. Pretium, quod a subscribentibus exigitur, est 15 assium seu Schillingorum Sterlingicorum.

IV. *Leges Anglo-Saxonicae Ecclesiasticae & Civiles. Accedunt Leges Eduardi Latinae, Guilielmi Conquestoris Gallo-Normannicae, & Henrici I. Latinae. Subjungitur Domini Henr. Spelmanni Codex Legum Veterum Statutorum Regni Angliæ, quæ ab ingressu Guilielmi I. usque ad annum nonum Henrici III. edita sunt. Toti Operi præmittitur Dissertatio Epistolaris Admodum Reverendi Domini Guilielmi NICOLSONI Episcopi Derrensis de Jure Feudali Veterum Saxonum. Opera & Studio DAVIDIS WILKINS S. T. P. Summe Reverendo in Christo Patri ac Domino GUILIELMO Divina Providentia Archiepiscopo Cantuariensi &c. a Sacris domesticis & Biblioth. Cantabrigiæ.*

Opus hoc continebit Leges omnes Anglicas, Saxonicas, Francicas, Normannicas & Latinas ab Æthelbirhto primo Anglorum Rege usque ad Magnam Chartam, quæ non solum cum variis MS. studiose sunt collatæ, sed etiam Doctissimis Clarissimi Editoris, cujus vasta eruditio ex aliis speciminibus jam Orbi Erudito innotuit, notis sub textu ornatae, in quibus non tantum historia illustrabitur, sed etiam perpetua Legum Britannicarum cum antiquissimis Legibus Germanicis, Gallicis, Sue-

Suecicis & Cimbricis collatio instituetur. Cum moles libri nondum queat definiri, ad primam subscriptionem dimidia libra Sterlingica requiretur.

V. *Ecclesiastical Memorials Relating to the Reformation of Religion and the Emergencies of the Church of England, Under King Henry VIII. King Edward VI. and Queen Mary the First. In Three Volumes in Folio with a Large Appendix to each Volume, containing Original Papers &c.* By JOHN STRYPE M. A.

In hoc libro tales memoriae historiae Reformationis exhibebuntur, quae aliorum diligentiam effugerunt, & quae ex Chartis publicis, optimisque Manuscriptis longo usu collegit Author. Totum opus constabit circiter 600 philyris. Exemplaria non ultra 250 imprimuntur, praeter paucissima in charta majori: Unde pretium satis grande, quatuor nempe Guineorum Anglicanorum.

VI. *The Apologetick Discourses of S. THEOPHILUS, Bp. of Antioch, To Autolytus against the Malicious Calumniators of the Christian Religion, with Hermias's Irrision of the Pagan Philosophers: and Tertullian's prescription against Hereticks. Translated from their respective Originals, with Notes and Preliminary Dissertations upon each Author.* By Joseph BETTY, A. M. Fellow of Exeter. Coll. Oxon.

Comprehendet hic liber plus 30 philyras.

L 3

Sub-

Subscriptores pro iis solvent quinque schillingos. Non imprimantur plura exemplaria, quam subscriptiones erunt.

VII. *Eusebii Pamphili, Socratis Scholastici, Hermiae Sozomeni, Theodoreti. Et Euagrii, Philostorgii, & Theodoreti Lectoris, quae exstant, historiae ecclesiasticae.* Henricus VALESIIUS Graecum textum ex MSS. codicibus emendavit, & Latine vertit, atque annotationibus illustravit. *Gulielmus READING* novas elucidationes praesertim Chronologicas in hac editione adjecit. Ad illustriss. *Jacobum, Ducem de Chandois; &c.* Cantabrigiae typis Academicis. 3 Voll. in fol. Subscriptiones fiunt Londini ad *Londonhouse in Aldersgate-Street.*

VIII. *A new Ecclesiastical History of the seventeenth Century.* Duobus Voll. in fol.


Auctor *Digbejus COTES* Praeses Collegii Oxoniensis & Orator publicus Universitatis ejusdem constituit imprimis *Du Pinium* & sequi & supplere, magisque accommodatum reddere popularium suorum usibus. Propterea & controversias in ecclesia Romana motas, quas *Du Pinus* attigit, exponet uberius, vitasque Theologorum Protestantium qui in Gallia, Germania, Belgica & praecipue Anglia floruerunt, resque in ecclesia Evangelica gestas summa cura describet.

IX. *An help for the more easy and clear Understanding of the holy scriptures, being the*  
Boock

⚔ (165) ⚔

Boock of the Old Testament. Londini. 6.  
Voll. in 4.

Auctor hujus operis est Eduardus WELLS,  
S. T. D. & Rector Cotesbaci in Leicestria,  
cujus non ita pridem paraphrasis & notae in  
N. T. praemisso textu Graeco & Anglico  
duobus in forma quarta, ut vocant, tomis  
prodiit. Hic accuratissima Interpretum Ale-  
xandrinorum versio juxta cum Anglicana, pa-  
raphrasi notisque copiosissimis legetur. Ac-  
cedent Dissertationes VII. de annorum, men-  
sium &c. apud Judaeos ratione, de Ebraeorum  
Festis, sacrificiis, tabernaculo, templo, nomi-  
nibus Dei Ebraicis, & idolis Gentilium, quo-  
rum scriptura meminit, &c. una cum Chrono-  
logia rerum memorabilium V. Testamenti.



IX.

Catalogus Librorum ad  
Theologiam & historiam sacram  
spectantium à Reformatis vel edi-  
torum vel recusorum con-  
tinuatus.

A.

*Latine.*

**A** *Brabami* PUNGELERI (a) Theologi  
Herbornensis, de *Novo Testamento*, ejus-  
que

L 4

(a) Abrahamus PUNGELERUS, Marcoduro-Julia-  
censis,

que bonis dispu't, quinque. De trino Christi officio aduersus Socinianos & Pontificios disp. duae.

centis, natus d. 31. Maji 1679. in numerum Candidatorum S. Ministerii receptus est a. d. 31. Martii 1700. Doctor S. S. Theologiae renunciatus Franekeræ ipso die natali 31. Maji 1701. Vocatus ad Professionem Philosophicam in Academia Herborenſi d. 27. Febr. 1703. hanc provinciam oratione de *Fide debita Rationis Testimonio* suscepit d. 1. Nov. 8. Iduum Nov. anni sequentis fasces suscepit Academicos Sermone habito de *ineunda Academicæ juventuti studiorum ratione*. Extraordinariam Theologiae Professionem, quam natus fuit anno 1705. , commutavit cum Ordinaria 28. Aprilis 1706. Dixit hac occasione de *munere Theologi, quatenus id ipsum ex emblematicis ejus in S. Scriptura nominibus erui potest*. Anno 1709. ad Professionem Primariam, quam *Caussenianam* dicunt, ut & Profess. Hist. Eccl., quam utramque vacuam reliquerat Cl. *Biermannus*, promotus fuit.

Scripta ejus sunt sequentia :

1. De Regno Dei Dissertationes tres ventilatae Franekeræ. 1699. 4.
2. Dissertationes tres in Historiam Creationis. *ibid.* 1701. 4.
3. Investigatio mysterii Creationis primæ pro disputatione inaugurali. *ibid.* 4.
4. Sermo Academicus de ineunda Academicæ juventuti studiorum ratione. Herbornæ 1705. 4.
5. Meditationes Cartesii in paragraphos digestæ, præfatione, indice & Conmatibus auctæ. *ibid.* 1705. 8.
6. Disputationes duae de immortalitate mentis humanæ. *ibid.* 1705. 4.
7. Orationes duae de *Babele*. *ibid.* 1710. 8.
8. Dissertat. de ideis Rerum possibilium in Deo. *ibid.* 1712. 4.

duae. De *Necessitate Sacerdotis*, ut & *passionum Jesu Christi* in corpore suo disputationes duae. De *Munere Christi prophetico*. De *diluculo N. Testamenti*. De *bonis N. T. propriis*. Herbornae. 1719. & 1720. & 1721. 4.

*Monumentum BECMANNIANUM*, hoc est, vita, fama, scripta & funebria Viri summe Rev. atque excellentissimi Joh. Christ. BECMANNI, Theol. Doctoris, in Academia Viadrina primum Graecae Linguae, post Historiarum, tandem Theologiae Professoris per annos L. meritissimi ac celeberrimi. In gratiam posteritatis, ne memoria tanti Viri excideret, erectum. Ffisi, ad Viadrum. 1719. fol. 1. Alph. 20. plag.

Complectitur hoc volumen sermonem funebrem, historiam vitae, Orationem Joh. Frid. *Werckmeisteri*, Log. & Eloqu. P. P. in ill. Gymnasio Servestano recitatam, & carmina funebria honori ac memoriae famigeratissimi illius & de literis omne genus, atque ecclesia Reformata meritissimi Theologiae Polyhistoris, qui *Servestae Anhaltinorum* post. Kal. Sept. a. 1641. editus mundo valedixerat a. d. VI. Mart. anni 1717.

Salomonis VAN TIL *opus Analyticum*. Vide recensitum hunc librum T. IV. Fasc. I. p. 179. & *Acta Erud.* a. 1721. Febr. No. 1.

Commentarius in librum prophetiarum *JE-SAIAE*, quo sensus orationis ejus sedulo investigatur; in veras *Visorum interpretando-*

rum Hypotheses inquiritur, & ex iisdem facta interpretatio antiquae historiae Monumentis confirmatur atque illustratur. *Pars posterior.* Accedit huic tomo Index locuples & accuratus, tum locorum scripturae sacrae Vocumque & Phrasium Ebraearum ac Graecarum, quae per occasionem in Commentario exponuntur ac luce perfunduntur; tum rerum praecipuarum, utroque tomo contentarum. Nec non tabula Topographica antiquae Moabitidis, ad prophetiam de hac gente libro hoc comprehensam rectius intelligendam, concinnata, cura & studio *Campegii VITRINGA*; Th. & H. S. Professoris. Leovardiae. 1720. f. pagg. 958. sine praef. & Indice. Prodiit jam iterata hujus praestantissimi libri editio Herbornae Nassoviorum. Otium nobis fecerunt complures Ephemerides literariae ne ejus recensionem heic sistere opus sit, Vide Rep. der Gel. M. Maj. & Jun. a. 1720. p. 424. Acta Erud. German. Lips. T. LXIX. & LXXI. Supplem. Act. Erud. Latin. Lips. T. VII. Sect. X. n. 2.

Ruardi ANDALA exegetis illustrium locorum s. scripturae, & typorum. Recensionem hujus libri dedimus Cl. IV. Fasc. III. p. 588. sqq.

*Clavis linguae sanctae* auctore Nicolao TROTIO; Oxon. 1719. fol. Vide de hoc libro, qui nunc integer prodiit; Cl. IV. Fasc. II. p. 398.

Bernardi Sebastiani CREMER *Prodromus typicus*;

pius; Summam hujus libri exhibuimus Cl. IV. Fasc. I. p. 175.

Jacobi ELSNERI Observaciones sacrae in N. T. Vide Cl. IV. Fasc. I. p. 181.

Friderici Adolphi LAMPE Oratio inauguralis de *summa sapientia*, cum professionem Theologiae ordinariam auspicaretur, habita Trajecti ad Rhenum ad VIII. Kal. Jul. Cl. lcccXX. Ultraj. 1720. 4. 10. phil.

Johannis MEYERI Or. de *Origine hujus universi* habita Hardervvici ad d. XII. Jun. cum fasces academicos deponeret. Harder. 1720. 4. 11. pl.

Nicolai GURTLERI *Institutiones Theologicae*, quibus fundamenta Reformatae religionis ordine maxime naturali succinctis positionibus traduntur, luculentis S. scripturae testimoniis probantur, consensu veteris ecclesiae confirmantur, adversus placita adversariorum ac dissentientium, summa fide ipsorum verbis relata solide vindicantur & ad pietatem & consolationem ubique applicantur. Halae Magdeburgicae 1721. 4. plag. 5. Alph. 10. pl. Est haec iterata editio operis, quod Amstaelodami a. 1694. nitidissimis exscriptum typis prodiit. Huic accesserunt notulae, quas suo exemplari Cl. Auctor alleverat, index, & Oratio in ejus obitum habita à Joh. van der Waeyen, F. Theologo Franequerano.

Johannis Jacobi GRYNÆI, Cl. Theologi Basiliensis, EPISTOLAE familiares LXVI.  
ad

ad Christoph. Andr. Julium, J. V. D. Conf. No-  
rib. scriptae, quas una cum vita Grynaei ex ta-  
bulis MSSis in lucem edidit & variis scholiis  
illustravit M. Sigism. Jac. Apinus, Alumnorum  
Noricorum & oeconomiae inspector. No-  
rimb. 1720. 8. pl. 15. His epistolis jam ante ali-  
quot annos vulgatis novus titulus cum effigie  
Auctoris nunc tantum praefixus est.

*Epitome Theologiae naturalis*, sive tabella, in  
qua series rerum in hac scientia tractandarum  
depingitur, summam exponitur, numeris-  
que suis ac certo ordini illigatur, auctore  
Campegio VITRINGA Filio. Theol. D. &  
Professore. Franequerae 1720. 4. 15. plag. Li-  
ber hic, quem suo & Patri & quae rara utri-  
usque felicitas est, Collegae, primario hujus  
aevi Theologo, inscripsit Cl. Auctor, *על טוהר  
וזהר*, quae ex innato naturae lumine, de *homi-  
ne*, de *Deo*, de *religione*, sive *officiis* Deo ex  
*עצמי* ad nos debitis, (in has enim tres partes  
opusculum dispescitur) cognoscuntur, accura-  
to & concinno ordine exhibet, mereturque  
studiosae Juventutis manu nocturna, diurna-  
que versari. Recensetur in republ. Erud. M.  
Nov. & Dec. p. 528. sqq.

*ספר הנפש*, sive Psychologia Rabbinica,  
quae agit de *mentis* humanae natura & prae-  
cipue ejus extremis, ex mente Magistrorum  
Judaeorum, accedit hinc inde sententia Mo-  
hammedis & Arabum Auctore Johanne EG-  
GERO, Helvetio Bernate. Basileae, 1719. 4.  
6. plag. Seba-

Sebastiani CASTELLIONIS *Dialogorum sacrorum* L. IV. nova editio summa cura recensita ac praeter superiorum omnium editionum accessiones notis quibusdam aucta, quae ex collatione diversarum editionum ab ipso Castellione curatarum tam cunctas simul Castellionaeas hujus libri editiones exhibeant, quam quas Vir diligentissimus & Latinae linguae ante alios studiosus per intervalla aetatis in hac disciplina progressus fecit, vel quos etiam alioqui variis temporibus de *Latinitate* sensus habuit demonstrare possint. Praefigitur praefatio Viri Cel. Jac. Christ. ISELII, qua de ratione hujus instituti, deque causis, quae eum ad hunc laborem suscipiendum permoverunt, differitur. Bas. 1720. 8. 1. Alph. 5. plag.

Paraphrasis Psalmorum Davidis poetica auctore Georgio BUCHANANO. Bas. 1721. 8. 1. Alph.

Danielis GERDES de *tempore messis Hebraeorum* disquisitio, & modesta ad Celeberrimi D. Joannis MEIERI, Harderovicensis Academiae Professoris animadversiones responsio. Ultrajecti. 1720. 2. plag. in 4. Dubium est majorem ne modestiam, an eruditionem, utramque raram in illa, quam nunc agit, florentissimus auctor, aetate virtutem, hoc scripto prodiderit.

Antonii DRIESSEN, S. Th. D. & Prof. & Concionatoris Academici, Exercitationes Academicae publice ventilatae anno 1719. in Academia Groningo-Omlandica, 1. de mysterio

sterio sextidui & Sabbathi in historia creatio-  
nis. 2. Commentariolus in Canticum Mosis,  
quod est Deut. XXXII. 3. De Sabbatho primo.  
4. De Juvencae rufae litera & mysterio. 5. De  
peccato Mosis, propter quod in Cananaeam  
ingressus non est, & illis Mosis precibus, ad  
quas populo Ducem Josuam constituit Deus:  
Adnexa est Oratio inauguralis de *Philadelphia*.  
Gron. 1720. 4.

Dissertatio de Pontii Pilati ad Tiberium  
epistola circa Jesu Christi gestas. Per *Mystago-*  
*gum*. Londini. 1720. 8. pagg. 36.

Specimen Theologico-Philologicum de  
*divisione Decalogi* juxta sententiam Reformato-  
rum ruminata & explicata, quod των ἀληθευ-  
οντων εν ἀγάπῃ disquisitioni examinandum of-  
fert *Job. Rudgerus LUTTRINGHAUSEN*, Er-  
berfelda-Montanus. Bremae 1721. 4. plag. in 4.

Flavii *Josephi* opera, quae reperiri potue-  
runt, omnia. Ad Codices fere omnes cum  
impressos, tum manuscriptos, diligenter re-  
censuit, nova versione donavit & notis illu-  
stravit *Johannes HUDSON*. S. T. P. Au-  
lae B. Mariae Virginis principalis & Protho Bi-  
bliothecarius Bodlejanus. II. Voll. Oxon. è  
theatro Seldoniano, 1720. in fol. pagg. 1502.

Taco Hajo van den HONERT dissertatio de  
Theologiae (a) Propheticae necessitate, ejus-  
que perpetuo in ecclesia usu. Lugd. B. 1721. 4.

(a) Idem hoc argumentum tractarunt cum *Pater  
meus,*

Synopsis historiae sacrae & ecclesiasticae ab origine mundi ad praesentia tempora secundum seriem periodorum deductae à *Friderico Adolpho* LAMPE, SS. Th. in Academia & ecclesia Ultrajectina Doctore publico. Ultraj. 1721. 8. 1. Alph. 8. pl.

Analysis, nec non chronotaxis Apocalyptica ad mentem Cl. Viri C. VITRINGA in suo Commentario Apocalypico, editionis secundae adornante C. J. BOMBLE, Eccles. Batavodurenfi. Amst. 1721. 4.

*Origenis* Adamantii renati epistola ad Doctores *Whitbejum*, *Waterlandium*, *Whistonum*, aliosque hujus saeculi Disputatores circa fidem vere Orthodoxam & scripturarum interpretationem. Londini 1720. 8. pagg. 73. Sub nomine *Origenis* adducit multa scriptor, quae non omnium palato accommodata erunt Libertati philosophandi, sensui allegorico scripturae, Quakeris plus, ac par est, videtur favere.

PANTHEISTICON, sive formula celebrandae societatis Socraticae, in tres particulas divisa, quae Pantheistarum, sive sodalium conti-

meus, ὁ υἱὸς ἐν μακαρίοις *Cornelius* HASAEUS in oratione inaugurali impressa, quam a. d. IV. Non. Maji a. 1683. habuit de summa his quidem temporibus necessitate studii Prophetici. Tum Vir magnificus *Henr. MÜHLIUS* in paraenese de studio prophetico nostro nunc tempore maxime amplectendo excolendoque, adjecta ἀποδείξει scripturariae editae Kilonii 1699. 4. T. d. H.

continet 1. Mores & axiomata, 2. Numen & philosophiam, 3. libertatem & non fallentem legem, neque fallendam. Præmittitur de antiquis & novis Eruditorum sodalitatibus, ut & de universo infinito & aeterno diatribe. Subjicitur de duplici Pantheistarum Philosophia sequenda, ac de Viri optimi & ornatissimi idea Dissertatiuncula. Cosmopoli. 1720. 8. pagg. 89. Hic liber est, cujus superioris fasciculi p. 1090. mentio injecta est. Ambigi quidem video, num infausti hujus foetus pater sit ἐπισημος ille Tolandus. At extra dubium est, nihil eo magis impium, nihilque pejus conciliatum potuisse emitti.

Ἀποκάλυψις APOCALYPSIOS Johannis Apostoli, qua in veras interpretandae ejus hypotheses diligenter inquiritur, & ex iisdem interpretatio facta, certis historiarum monumentis confirmatur atque illustratur; tum quoque, quae Meldensis Praesul Bossuetus hujus libri commentario supposuit, & exegetico Protestantium systemati in visis de bestia & Babylone mystica objecit, sedulo examinantur auctore Campegio VITRINGA, Theol. & Hist. S. Professore. Editio tertia, cum cura recognita, his illis in locis auctior. Accedit huic editioni index accuratus, cum locorum S. scripturae & vocum Ebraearum ac Graecarum, per occasionem expositarum, tum rerum hoc libro contentarum. Cum gratia & privilegio S. Reg. Maj. Pol. & Elect. Sax. Leu.

Leucopetrae. (Weißensfels) 1721. 4. 5. Alph.  
13. plag.

Animadversiones ad methodum Homiliarum ecclesiasticarum rite instituendarum. Auctore Campegio VITRINGA, Th. & H. S. Professore Franeq. 1721. 8. 10. phil. Non quidem integrum artis e suggestis sacris cum fructu dicendi systema heic exhibetur, sed tantum animadversiones quaedam, quibus illa illustrari potest. Praesertim de precibus publicis ab Oratore sacro dicendis, veritatumque ad praxin pietatis applicatione, quorum utrumque nimis, ac par est, a multis negligitur, differitur egregie. Ego illis, qui mysteriorum divinorum dispensationi se consecrarunt, vel consecraturi sunt, spondere ausim, nunquam paenitudine temporis, in venustissimi hujus libri lectione collocati, eos captum iri.

Johannis MARCKII Sylloge Dissertationum Philologico-Theologicarum ad selectos quosdam textus Novi Testamenti. Quae sunt de tempore nati Christi, literis Punctisque Ebraeorum, Parabolis Evangelicis, clavibus regni Coelorum, ecclesia audienda, aquilis ad cadaver congregandis, doloribus & clamoribus Christi patientis, Generatione nova ex spiritu, praesistentia animae Christi conficta, sabbatica Mosis lectione in Synagogis, typis, traditione Satanæ, Christo redivivo à Cepha & Paulo viso, Theriomachia & raptu Coelesti Pauli, Anathemate Maran Atha, Allegorume-  
Class. V. Fasc. I. M nis

nis &c. Accedit Oratio Academica de Mo-  
saica visione dumeti ardentis & non consum-  
ti. Roterod. 1721. 4. 2. Alph. 19. Phil. Re-  
censent Lipsienses in Act. Er. Lat. M. Jun. hu-  
jus anni. n. 2.

Textus Roffensis. Accedunt Professionum  
antiquorum Angliae Episcoporum Formulae,  
de Canonica obedientia Archiepiscopis Can-  
tuariensibus praestanda, & *Leonardi Hutteni* Dis-  
sertatio Anglice conscripta de Antiquitatibus  
Oxoniensibus. E Codicibus MSS. descripsit,  
ediditque *Thomas HEARNE*. Oxonii e thea-  
tro Sheldoniano. 1720. 8. pagg. 477. Vide Bi-  
blioth. Angl. T. VIII. p. 2. sect. 2.

*Gerhardi OUTHOVII* *Judicia Jehovae Ze-  
baoth*, quibus peragrat hunc terrarum Or-  
bem, seu bellum divinum, quo petit Deus  
peccatores, adversus quos variis ac magnis  
exercitibus, variisque honorificis armis poten-  
tissimus coeli Bellator bellat, & in quo bello  
divino exponendo varia loca S. Codicis ex an-  
tiquitate explicantur ac historiis illustrantur.  
Adjunctum est Carmen *SEVERI SANCTI*, id  
est, *ENDELEICHI de mortibus boum cum N.*  
*Variorum*. Groningae. 1721. 8. 2. Alph. 8. pl.

Occasione calamitatum varii generis, qui-  
bus his annis Frisia orientalis, regionesque vi-  
cinae fuere afflictæ inductus Auctor doctissi-  
mus, in hoc bonae frugis plenissimo libro ma-  
teriam de *Judiciis Dei in homines impios* erudite,  
diligenterque pertractat. Deum, ut Bellato-  
rem

rem Dominumque exercituum considerando, eum poenis suis judiciisque tanquam exerciti- bus homines impios ut hostes suos aggredi, subigere, debellare docet. Sigillatim agit de militibus Dei, ac legionibus, quas esse non so- lum sacerdotes, Levitas, angelos, Apосто- los, omnesque pios, sed & erucas, vespas, cra- brones, cantharides, muscas, locustas, mures, ranas, pediculos, tineas blattas, vermes, alia- que id genus animalcula, docet. Porro de rubigine, ictero, morbo regio, tonitru, ful- minibus, terrae motibus, incendiis, ventis, pro- cellis, tempestatibus, inundationibus, aeris siccitatibus, fame, pestilentia, lue peco- rum, bellis copiose differit, atque has cala- mitates ex sacris & profanis auctoribus, vete- rique juxta & recentiori historia, describit. Ea occasione varia ex Philologiâ, in quo stu- diorum genere regnat in primis clarissimus Auctor, afferuntur, elucidanturque, v. gr. de nomine Dei צבאות, de παροφθαλμια; Ebr. לשכה, unde Graecum λεσχη. de appellatione Dei מלחמה איש, de Veterum Fezialibus, de Deo Acronitarum Beelzebub, de Joelis Gazam, Arbe, Jelek, & Chasil. De Locustarum agmi- nibus, de locustis comestis. De cibo Johannis baptistae. De voce כניס, de Herode a ver- mibus absumto, de Apolline Sminthio, de Jo- ve καταβατη. De Tonitru. De Diis Lithua- norum & Slavorum, Percuno & Suantevito, quem non ut vulgo putatur, a Sancto Vito, sed

à *Swynso*, i. e. sole Slavorum deastro dictum conjicit, de sale sterilitatis, adspergi solito super ruinas urbium dirutarum, de diluvio Noachico, de jride, de origine Aggerum contra oceani rabiem, de judiciis Divinis, dictis ejus *telis* haut proletaria afferuntur.

Praeterea varia scripturae loca accipiunt lucem; v. gr. 1. Chron. IX: 33. Es. XIII: 4. XLII: 13. Jac. V: 4. 2. Reg. I: 2. Eccles. X: 1. Joel. I: 4, 7. II: 4. 25. Apoc. IX: 7. 9. Matth. III: 4. Marc. I: 6. Prov. XXX: 27. Jer. LI: 27. Ps. LXIX: 20. Job. IV: 15. Lev. XI: 12. Hof. X: 7. Ps. CIX: 23. Eccl. XII: 5. Ps. XXII: 7. Es. XLI: 14. Matth. VI: 19. Job. IV: 19. Es. XXVII: 4. Deut. XXVIII: 23. 24. Sophon. II: 9. Jud. IX: 45. Es. XVI: 9. 10. Apoc. IV: 3, 10. Ps. CVII: 34. Amos. VIII: 8. IX: 5. Job. XXVIII: 11. Ps. LXXVII: 17. Job. XIV: 9. (quem locum ita vertit: *aquae contundunt lapides alluvionibus s. exundationibus aquarum, inundas pulverem terrae, ita spem miseri hominis perdis, ubi תשטוף* aequae ac האכרת ad Deum refert) Thren. IV: 9. Ezech. XIV: 21. V: 16. & alia.

Accedit denique Carmen *Severi sancti* s. *Endeleichi* de mortibus boum cum notis selectis (quas tamen integras additas esse mallems) *Wolfgangi Seberi, Joh. Weitzii & G. Outhovii.*

**B**IBLIOTHECA BIBLICA ; Being a commentary upon all the Books of the Old and New Testament Gatherd out of the Genuine Writings of Fathers and ecclesiastical Historians and Acts of Councils, down to the Year of Our Lord 451. being that of the fourth General Council, and Lower, as occasion may require. Comprehending the proper Allegorikal or mystick and Moral import of the Text, as delivred or illustrated in the Writings and Monuments as are said in such a manner that generally where the sense of several Commentators is the same the Words onely of one with the Names of the rest, are cited, to avoid repetition ; Oxon. in 4. Hoc opus inceptum est a 1717. quotannis XII. partes vulgantur ; Cl. Autor, Samuel Parkerus, patris ὁμωνυμης, Viri & Theologi summi, qui Oxonii habitat, filius ἐφαιμιλος, continuabit hoc opus, & jam pervenit ad Exodum. Eidem libri, qui sequitur, editionem debemus.

The ecclesiastical historie of Eusebius Pamphilus, Socrates, Sozomenes and Theodorick, faithfully translated and abridged from the originalls by SAMUEL PARKER. To which is prefixed a dissertation concerning the use and Authority of ecclesiastical History by Charles Lessy A. M. Together with the lives of each respective Historian and several useful Notes and

illustrations in the margin from the best Authors, as likewise necessary index added by the Abridges. Oxonii 1720. 3. Voll. in 8vo.

A Defence of the late Charge delivered to the Clergy of the Diocese of Oxford. July 1719. in a letter to the Said Clergy. By the right reverend Father in God JOHN, Lord Bishop of Oxford. London. 1720. 12. pag. 80. Hoc scriptum à reverendissimo Johanne POTTERO, Episcopo Oxoniensi famigeratissimo, scripto R. episcopi Bangoriensis Hoadlio acerbiore oppositum est. V. Bibl. Angl. T. VII. p. 2. n. 5.

An enquiry in to the *Cause and Origin of Evil* in which the principal Phaenomena of Nature are explained according to the true Principles of Philosophy, more particularly in answer to Mr. BAYLE, and other Defenders of the ancient Manichæan Scheme of two independent Principles. Being the substance of eight Sermons preached at the Parish Church of St. Mary le Bow in the year 1719. at the Lecture founded by the honorable Robert Boyle; Esq. by JOHN CLARKE D. D. Chaplain in ordinary to his Majesty, London 1720. 8. pagg. 304. Vide Bibl. Angl. T. VII. p. 2. n. 7. Haec prima pars operis est, quam mox sequetur altera.

*The grand reprisall;* in a letter to a member of parliament, concerning the distressed state of our sister churches in the Palatinate, and other Parts of the empire. Being the only expedient for redressing all at once, and for ever, their Grievances, and preventing for the future

re our own Dangers from either the Pope, or Pretender. To which is subjoined. A short account of the differences of his electoral Highness of *Brunswick*, now King of Great Britain, with the Chapter of *Hildesheim* in the Year 1711. In order to Demonstrate toth the Necessity and Practicableness of Proceeding with Papists in Way of Riprisalls. London. 1720. 8. 5. plag.

A practical discourse concerning te great Duty of Prayer. By Richard CROSSINGE, Bachelor in Divinity of Pembrock colledge in Cambridge. London. 1720. 8. pagg. 237.

A reply to Mr. Martins examination of the answer to his dissertation in 1. Joh. V:7. By Thomas EMLYN. London. 1720. 8. pagg. 48. Vide Mem. lit. d. l. Grande Bret. T. III. n. 2.

*The history of Engeland* from the first entrance of Julius Cesar & the Romans to the conclusion of the Reign of King James the second & the establisement of King William & Queen Mary upon the throne in the Year 1688. With a complete Index. By Laurence ECHARD A. M. Archdeacon of Stowe & Chaplain to the most reverend William Lord Archbishop of Canterbury. The third edition, with Additions. London. 1720. Fol. pagg. 1150. Vide Mem. lit. d. l. gr. Bret. T. III. n. 5. Editionem hujus operis, quae tribus in folio voluminibus a. 1707. & 1718. prodiit, recensitam vide in Actis Erud. Lips. a. 1720. Nov. n. 2.

Eight sermons preached at de Cathedral  
M 4 Church

Church of S. Paul, in defense of the divinity of our Lord Jesus Christ; upon the encouragement given by the Lady MOYER & at the appointment of the Lord Bisshop of London. Whith a preface containing Remarks upon two late pamphlets, one intituled, *Modest Plea &c. continued &c.* the other. *Unity of God not inconsistent, with the divinity of Christ, &c.* by Daniel WATERLAND D.D. Master of Magdalen-College in Cambridge, & Chaplain in ordinary to his Majesty. Cambridge, 1720. 8. pagg. 337. Vide mem. lit. d.l. gr. Br. T. III. n. 5.

A Treatise concerning the operations of the Holy Spirit, being the substance of the late reverend and Learned D. William CLAGETTS discourse upon that subject. Whith large Additions. By Henry STEBBING, M.A. Rector of Rickinghall in Suffolck, and late Fellow of St. Katharines Hall in Cambridge, London. 1719. 8. Hic liber continet epitomen libri, de *operationibus Spiritus S.* quem superiori saeculo Johanni Oweno opposuerat *Clagettus*, ex quo rejectis nonnullis, quae nunc videbantur exiguo legentium usui fore, plura de isto nunc addidit Henricus Stebbingius.

Pious Thoughts concerning the Knowledge and love of God, and other holy exercises. By the late Archbishop of *Cambray* done out of French. Lond. 1720. 8.

A persuasive to a holy life, from the Happiness which attends it both in this World and in the World to come. By John RAY, late

late Fellow of the Royal Society. London.  
1720. 8.

Practical observation upon Miracles of our blessed Saviour, by Francis BRAGGE B. D. Vicior of Hitchin in Hersfordshire. the third edit. London. 1720. 2. voll. in 8. The Ansvver of the Earl of NOTTINGHAM to Mr. Whistons letter to him, concerning the Eternity of the Son of God, and of the holy Gost. London. 1720. 8. Optimum factum est causam Jesu Christi, & adorandae Trinitatis ab aliis infausto molimine in illa insularum Regina oppugnatam, ab aliis tantae etiam dignitatis, tamque illustrium meritorum Viris fortiter fideliterque asseri. Id agnovit ecclesiae Anglicanae clerus, qui per deputatos suos illustrissimo Comiti verbis amplissimis pro praestita ecclesiae operagratias dici voluit.

*The history of King Killers, or the Fanatick Martyrology*: Containig the lives of 365. Hellisch saints of that Crevv infamous for treason, Rebellion, Perjury, rapine, Marder &c. being one for every Day in the year. Published for the consolation of the sanctifyd tribe of Blood-thirsty Republicans; and for the information of true Christians and sincere Lovers of Monarchy. London. 1720. 4. 2. Voll. Pretium XII. Schellingi.

A Treatise upon the passions Being a discourse upon the dignities and corruptions of Man's nature, since the Fall; By the learned Mr. HALER of Eton, Novv First publish'd from the Original MSS. revised and approved by Bisshop Smalridge; London. 1720. 8.

Serious Remarks, upon tvve late trats. The first an argument to prove that the Abolishing Christianity vould be attended vvith inconveniencce. By the Rev. Dr. Svwith. The second an argument to the successors of the Aposteles; not to consend tot earnestly for the faith. By the Rev. Mr. Pearse of Oxford. by I. C. M. H. London. 1720. 8.

SANCHONIATHOS Phoenician History, translated from the First Boock of Eusebius de praeparatione  
Evan-

Evangelica. Whith a continuation of Sanchoniatho's History by *Eratosthenes* Cyrenaeus's Canon, Which *Dicaearchus* connects vvith the first Olympiad. These Authors are illustrated vvith many Historical and Chronological Remarks, proving them to Contain a series of Phoenician and Aegyptian Chronology, from the first Olympiad, agreable to the scripture Account. By the righth reverend *Rich. CUMBERLAND*. D. D. late *bischof* of Peterboroug. Whith a preface giving a brief Account of the Life, Character, and Writings of the autor by *S. PAYNE*, Rector of Barnack in Northamptonshire, his lordships Domestick Chaplain. London 1720. 8. pagg. 488. Dolendum est librum hunc ex manuscripto Auctoris editum, non satis accurate, beneque digesto ordine prodiisse. Ceterum ex vita ejus a *Paynio* consignata discimus reverendissimum *Cumberlandum* Londini a. 1632. natum, studiorum fundamentum in illius urbis schola Paulina, & deinde in collegio S. Magdalenae Cantabrigiensi posuisse, a sacris deinde fuisse Sigilli publici custodis *Briedgmanni*, postea parocciis *Bramptoniensi* & *Stamfordiensi* in Provincia *Lincolniensi* fuisse praefectum. Rege *Wilhelmo* rerum potito, ab eo ad Episcopatum *Petroborou-* censem evehctus est, cum nihil hujus speraret. Collatam enim hanc in se dignitatem omnium primo ex relationibus rerum novarum, quas in *Thermopolio* legere consueverat, didicit. Vir fuit pietate, doctrina, humanitate praestantissimus, Theologus, Philosophus, Mathematicus, philologus insignis. Anno aetatis octuagesimo tertio ad linguam *Copticam* discendam animum applicuit. Valetudine per omnem vitam usus insigni a. aetatis LXXXVII. Christi clb *1699*. diem suum obiit. Edidit *disquisitionem Philosophicam de legibus naturae contra Hobbesium*, apud nos quoque in *Germania Lubecae* a. 1683. in 8. impressam, & de *mensuris & ponderibus Aebraeorum* librum. Dissertationes ejus, quas vocat *Origines antiquissimas*, in quibus veterem historiam & Chronologiam illustrat, se editurum promisit *Paynius*.  
Church

*Church Authority vindicated*, in a sermon preached at Putney, May the 5. 1719. at a visitation of the Peculiars of the most reverend the Lord Archbishop of Canterbury be fore te right VVorschipfull Dr. *Bettesworth*, Dean of the Arches and Commissary of those *Peculiars*, By Fr. HARE D. D. Rector of *Barnes* and Chaplain in ordinary to his Majesty. London. 1719. 8. pagg. 47. V. Bibl. Angl. T. VII. p. I. n. 1.

An answer to the Rev. D. HARES sermon intituled, *Church Authority vindicated*, in vvhich the Texts of scripture relating to this subject are examined; the Doctrine of *Sincerity* is explained, and defended; And several other important Points are considered. With a Postscript, occasioned by the Lord Bishop of Oxfords late charge to his Clergy. By *Benjamin* Lord-Bishop of BANJOR. London. 1720. 8. pagg. 276.

The Mystery of *Anabaptism* Unmask'd: Being a full Vindication of *infant Baptism* in the Church of England, in Answer to the fallacious Arguments, and pernicious Errors of Mr. *Morgan*, Mr. *Stenned* and other the principal Leaders of the Anabaptists: To vvhich are added, discourses 1st. Upon the Christian Sabbath. 2d Original sin, 3d Forms of Prayer and our Liturgy 4th sin fulness of Schism 5th The Danger of Apostacy 6th The History of the Anabaptists, from their first Appearance in the World, in foreign Parts, and in England. By *Marcus D' ASSIGNY* B. D. 1720. Lond. 8.

Memoirs and Reflections upon the Reign and Government of King Charles I. and King Charles II. Containing an Account of several remarkable Fatts not mentioned by other Historians of those Times. Wherein the Character of the Royal Martyr, and of King Charles II. are Vindicated from Fanatical Aspersions. Written by *sir Richard BULSTRODE* Resident at Bruffel to the Court of Spain from King Charles II. and Envoy from King James II. till the Revolution 1688. Now first publish'd from his Original Manuscript. London, 1720.

Lectori Benevolo

**THEODORVS HASAEVS**

S. Pl. D.

**V**isum mihi est in posterum unam alteramve quaestionem, quae obscurior, & *Δηλῆς* indigere *κολυμβητῶν*, videtur, ex iis, quas ad nostrum hoc pertinere institutum nosti, singulis adjicere fasciculis. Quod & si tibi inter legendum meditandumve occurrant *δυσσητῶν* quaedam, quae digna esse putas, in qua excutienda examinandaque praeclarorum ingeniorum nervi intendantur, ea, si me allegaveris, indicabo publice. Atque ita haud incommodam praebebo occasionem, Virorum doctrina florentium de difficillimis capitibus cogitationes expiscandi. Illarum enim, quando ad me mittentur, neque jam ab aliis prolatae sunt, in hac Bibliotheca te faciam participem. Qua re ut facile intelligis, ad proferenda scientiae Theologicae pomœria, ejusque augendos Thesaurus nihil magis excogitari posse accommodatum, ita porro bonam tuam prolixamque voluntatem mihi, conservari cupio. **NUNC** quidem a **TE** edoceri desidero, *quid per VAL. LEM JOSAPHATI in illustri vaticinio Joëlis III: 7, 17. intelligendum sis?*

